John Barrow

SPECIMINA MEDICA

AVCTORE

CAROLO CHRISTIANO ENGEL.

MED. DOCT.

ACCEDIT

SYLLOGE EPISTOLARVM

PAVLLI GOTTLIEB WERLHOFII

SELECTIORA QVAEDAM CONSILIA

CONTINENTIVM.

BEROLINI

APVD CHRIST. FRID. VOSSIVM ET FILIVM.

MDCCLXXXI.

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

DVCI REGNANTI MEGAPOLITANO

PRINCIPI VANDALORVM SVERINI

ET RATZEBVRGI

COMITI SVERINI

TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDI

DOMINO ETC. ETC.

PATRIAE PATRI

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

LEVIDENSES HASCE PAGINAS

ET SIMVL

ARDENTISSIMA VOTA

PRO

OPTIMI PRINCIPIS

SALVTE, LONGAEVA VITA

FELICITATE OMNIGENA

HVMILLIMO MENTIS CVLTV

CONSECRAT

DEVOTISSIMVS

CAROLVS CHRISTIANVS ENGEL.

PRAEFATIO.

Meum duco, rationem exſpectaturis, ſi quos forte habuero, lectoribus reddere, quo nomine alieni iuris epiſtolas, alteram quaſi huius libelli partem, ipſorum vſui offerre mihi liceat. Eas vero cum edendi venia, tanquam dono, me accepiſſe ſciant ab illuſtri Archiatro et Conſiliario Aul. H. L. BECKER, Viro longa eaque feliciori praxi celebratiſſimo, mihique, quod laetor ſane, et affinitate et amicitia iunctiſſimo. Is per XX fere annorum decurſum, praeſertim vero primo praxeos ſuae decennio, (quo ſe STAHLII theoreticis quidem placitis nunquam, attamen methodo medendi cautelisque practicis adhuc inhaeſiſſe fatetur,) frequens habuit litterarum commercium cum Summo WERL-

 HOFIO,

HOFIO, quem, cum et humanitatem viri et praeclaras medendi rationes ipſa conuerſatione penitius cognoſcendi aliquoties data eſſet copia, haud vulgari modo ſuſpicere, immo etiam amicis praeſtantioribus annumerare gauiſus eſt. At ſaepe mecum de praxi ingenioque WERLHOFII, et datis ab eo reſponſis medicis, ſerena fronte collocutum hortatus ſum, precibusque ſollicitaui, niſi cunctas, ſelectiores tamen epiſtolas, quibus petiiſſet impetraſſetque ab eo conſilia cum orbe medicorum communicare, vel mihi edendas concedere vellet. Conceſſit tandem, ductus praſertim beneuolentia, vt ornamentum aliquod conciliaret exiguo, quod me moliri nouerat, opuſculo. Spero autem, lectores mecum ipſi gratias eſſe habituros. Quis enim eſt e meliori medentium coetu, quis artem prudenter ac feliciter exercendi ſtudioſior, quin virentem ſemper WERLHOFII memoriam ita colat, vt vel ſchedulam, eius quodam effato inſcriptam, laete excipiat,

atque

atque in ſcrinium ſuum ſancte reconden-dam putet? Vtinam vero omnes, qui cum morborum hiſtoriis magni viri con-ſilia adhuc ſeruauerint, puluere forſan tur-pi, vilibusque chartis ſepulta, quae ſcitu digniora videantur, in meritam lucem ederent. Nemo enim frequentiora et me-liora dedit: nemo quoque WERLHOFIO vnquam modeſtior fuit, vel negotiorum multitudine impeditior: quamobrem, vt ipſe, exemplo F. HOFFMANNI, tanto nos theſauro donaret, hortantibus amicis ſem-per recuſauit.

De meis nihil omnino praefari decre-veram, niſi forte lectorem rogaturus, vt ea qualiacunque, licet epiſtolis praemiſſa, loco potius additamenti haberet. Atta-men de primo ſpecimine nonnulla mone-re liceat. Quaedam modo titulus pro-mittit: nihil de vſu *interno* mezerei. Qui quidem externo adhuc inter noſtrates ra-rior, forte etiam vtilitate inferior eſt. Sed non vbique eum medicis contemni, quam-

vis haud amplam, in Germania certe, laudem acquiſiuerit, paſſim teſtimonia exſtant. Neque adeo corticem, ſed potius radicem interne adhibent, quam tamen Cl. VOGEL (*mat. med. p. 240.*) ob immoderatam purgationem plane diſſuadet. Interim Berolini ſatis frequenter eam vel et corticem, in decoctis vſurpari, a pharmacopola quodam mihi relatum eſt. Cel. quoque MVRRAY (*apparat. medic. Vol. I. p. 338.*) formulam decocti tradit, radicem mezerei habentis, quo medici Lisbonenſes incommoda poſt ptyaliſmum et liberaliorem mercurii vſum reſidua tollere dicuntur. Atque ab hoc decocto nihil plane diſcrepat, quod in nodis venereis praeter opinionem profuiſſe vidit ALEX. RVSSEL, (V. *Medic. Bemerckung. und Vnterſuch. einer Geſellſchaft von Aerzten in London III. Band pag. 163.*) qui deinde ſolam eam radicem eximio cum effectu tentauit.

Vſus externus iam familiaris quodammodo eſſe ſeque probare coepit medicis

Sue-

Suerinenſibus; nec magis eum negligunt Roſtochienſes, quemadmodum ab eius loci medico, D. OERTHLING, amico meo honoratiſſimo, accepi; cuius hanc quoque repetitam obſeruationem hic memorare fas erit, nempe tumores iſtos nodoſos, quibusdam a cortice impoſito excitari ſolitos, contra remedia externa plerumque rebelles eſſe, ſibi relictos autem breui ſponte euaneſcere.

Diu iam elaborato ſpecimine ex commentariis Helmſtad. de rebus nov. litterar. Faſc. III. Scida XVIIII. vidi, Actis Acad. El. Mogunt. inſertam eſſe RVMPELII diſſertationem de Daphnes mezerei viribus; cuius hanc commentator dedit epitomen: *Cortex Daphnes mezerei ad brachium hominis adligatus viginti horarum ſpatio humores attraxit*, *quum cortex Daph. Gnidii intra quadraginta octo horas demum eundem effectum produceret. Fortius agit vterque cortex*, *ſi non aceto ſed aqua antea imbuatur.* Cel. Auctor ophthalmiam ſeroſam, rheumatismum,

mum, odontalgiam, hemicraniam, rheumatismum cum epilepſia coniunctum, ſpasmum et paralyſin, febrem ex retrogreſſa ſerpigine inueteratam et parotidis morbum, adhibito hoc cortice, curauit.

Quamuis ergo ſuperuacanea videri nunc vel maxime poſſit ſcriptiuncula mea, eam tamen abiicere nolui, cum et proprias quasdam obſeruationes addat aliorum obſeruatis, et ad aliquos, ſperem, perventura ſit, qui et acta illa, aliaque, in quorum vaſto quaſi gurgite rari nantes plerumque deprehenduntur commentarioli medici, tota volumina ſibi comparandi opportunitate mecum careant.

CON-

CONSPECTVS SPECIMINVM.

I. Quaedam de vſu corticis mezerei externo. pag. 1.

II. De vertigine nauſea ac vomitu eorum qui curru vehuntur. pag. 24.

III. Hiſtoria vomitus chronici cum cardialgia. pag. 75.

IV. Tumor linguae ex vſu mercurii. pag. 96.

V. Febris tertiana complicata, aliquoties recidiua. pag. 103.

ARGV-

ARGVMENTA EPISTOLARVM.

I. Haemorrhoides per veficam. pag. 113.

II. Morbus cachectico - conuulfiuus. pag. 145.

III. Adfectus vertiginofi et femiparalytici fcorbutici pag. 152.

IV. Symptomata, polypum cordis mentientia. pag. 166.

V. Morbus ex arthritide anomala in cachexiam hydropicam tranfiens. pag. 173.

VI. Chorea St. Viti. pag. 189.

VII. Adfectus hypochondriacus cum conuulfionibus epilepticis et infigni decremento corporis. pag. 195.

I. Quae-

I.

Quaedam de vſu corticis mezerei externo.

Remediorum eadem fere, quae veſtium, ſors eſſe ſolet; in quibus nempe recipiendis iterumque abrogandis, magis plerumque dictat opinio et mos, quam quidem propria ipſorum indoles. Sunt enim perpauca altioris laudis et adeo confirmatae virtutis medicamina, quae per vnum alterumque decennium celebrata, etiamnum honorem, nouitate olim adeptum, retinent, immo in dies maiorem nanciſcuntur. Plebis quidem ingenium, vt ſuetorum in genere, ſic et auxiliorum tenax reperitur, quorum vtilitatem ſemel experta eſt, vel ſe credit expertam eſſe; eiusmodi enim diſcrimina parum curat. Contra medicorum nonnulli quaevis noua eo fere captant auidius, quo magis

famam ſuam, et artis dignitatem limitesque, quibus eam nimium anguſtis ſaepe viderunt circumſcriptam, amplificare vel cupiunt vel ſperant. Id vero dolendum eſt, per ingentem experimentorum, quotidie increſcentem, vbertatem non adeo veras artis augeri diuitias, quam medentium animos diſtrahi. Ea enim inani conſiliorum multitudine ſcientia noſtra infirmior, delectus difficilior, optatus in medendo ſucceſſus magis ſemper fortuitus euadere debet: vt neſciam, an ſancta quorundam ſimplicitas praeferenda ſit aliorum inconſtantiae. Plerique etiam inuenta ſua, agyrtarum inſtar, immodicis promulgant laudibus, qua conſpecta ſcilicet commentorum nota, prudentes fidem iis vix tribuunt, timidiores plane ab vſu deterrentur. Sed aliud quoque damnum, idque peius, eo effici videmus. Sunt enim nonnulli adeo heroïcae, niſi mauis ſtupidae et ignauae mentis, vt efficaciori, quod ſemel fortuito arripuerint, remedio pleroſque morbos, valde licet diuerſos, aggrediantur, et vix mala fortuna ſe coërceri ſinant. Sic noui, qui modo aſa foetida, modo tartaro emetico, cortice Peruv. immo et mercurio ſublimato cet. tanquam gla-

gladio incantato ad quemuis fere hoſtem obvium vtuntur; hoc nomine vagis, quos vocare ſolent, equitibus facile adnumerandi.

Neque tamen cognitionum humanarum conditio amicum ſemper animorum conſenſum admittit, neque in detegendo fines. Induſtria et caſus noua quotidie praebent auxilia, vel nouas ſaltem vſus rationes: de quibus non eſt optandum, vt reticeantur, modo maiori accuratione et candore tradantur, quam quidem a multis fieri ſolet. Sciant praeterea, qui de arte noſtra bene mereri cupiunt, non tanti eſſe, molem, quam dicunt, materiae medicae exaggerare, quam ipſorum morborum naturam melius exponere, et nouis experientiae ſuffragiis comprobare vtilia.

Verum, eiusmodi noua obtuliſſe, quae vel adhuc deſideratum effectum vere praeſtant, vel peculiare commodum habent, laudem eſſe cenſeo, eamque deberi CL. LE ROI, qui de cortice Laureolae ſcripſit. a). Ille enim cortex interdum non vno nomine aliis quibusque cauteriis facile praeferendus eſt, mihique eum e voto

 ali-

a) *Verſuch über den Gebrauch und die Wirckungen der Seidelbaſtrinde. überſetzt von Juncker, Straſb. 1773.*

aliquoties ſatisfacere, laetus memini; licet nonnunquam ſpem fefelliſſe, fateri debeam. Sed, cum multis noſtratum vel minus adhuc cognitus, vel neglectus videatur, non me actum agere iudico, ſi, quae de huius remedii effectis, ipſe experiendo didicerim, candide communicem; quo forte nonnullos ad rem, non adeo vilem, attentiores reddam.

Qui in noſtris officinis habetur cortex, quemque ego adhibui, fruticis eſt, Linnaeo Daphne mezereum dicti; cuius nitidam, vt ſolet, delineationem dedit Cel. OEDER b). Noſtratibus vocatur *Seidelbaſt-Baum*, *Kellerhals*, *Pfefferbaum*. Sparſim quoque in hortis colitur, ob florum ſuaue ac ſolitarium decus: ineunte enim Martio floret. Noſter vero et alterius illius ſpeciei (*Daphne gnidium Linn.*) cortex nihil fere, comparatis inter ſe virtutibus differunt; vt, pro nata opportunitate, recte ſibi invicem ſubſtitui queant.

Prius vero, quam ad narrandas meas qualescunque obſeruationes progrediar, experimenta quaedam chemica, cum illo inſtituta, bre-

b) Flora Danii. Tab. CCLXVIII.

breuiter ſubiungere liceat, quibus tamen nolo ad explicandos effectus vti.

A) Corticis vnciae duae, rite conciſae et aqua niuis puriſſima infuſae, poſt debitam macerationem frigidam exhibuerunt extracti gummoſi drachmam vnam, et grana quindecim, exceptis aliquot, vaſi adhaerentibus.

B) Eadem corticis quantitas, calide digeſta dedit, praemiſſa deſtillatione, extracti gummoſi fere drachmas duas cum dimidia: pondus, priori illo duplo maius, quod et ſaporis vehementia nonnihil ſuperat. Aqua deſtillata colorem habuit albicantem, odorem modo tenuem, ſed peculiarem corticis; ſaporem extracti valde moderatum. Nihil vero ſalis vel olei eſſentialis obtineri potuit.

C) Ex ſiccato eodem cortice, ſpiritus vini ſumme rectific. extraxit grana quadraginta octo reſinae puriſſimae; quo facto, reſiduum cum particulis ſolubilibus ſapore ſimul vrente plane ſpoliatum eſt.

D) Denique vncia corticis, cum octo aceti vini deſtill. acerrimi vnciis bene digeſta, praebuit extracti grana triginta tria: ſubtractis nimirum, vt par erat, quae ex ipſo aceto, ante

explorato, accesserant. Colore nigriori hoc extractum cetera, quae profunde fuscum habent superat. Cuncta vero, praeter odorem haud ingratum, id quoque commune habent, vt moderate sumta tardius se linguae insinuent, at, post horae quadrantem, sat acri eam ac diuturno stimulo, instar herbae dracunculi masticatae, afficiant: vehementius quidem extract. resinosum, lenius vltimum, aceto paratum.

Iam ad morbos veniendum est, in quibus cortex noster efficax se remedium praestitit. Mea vero commentatio ad hos saltem pertinet, quorum ipse curationem tentaui. Hic primum facile locum meretur *audiendi difficultas*, quam multiplicis generis esse, et aegerrime plerumque sanari, nouimus. In ea curanda plurimum sane commendationis habet mezereum: sedulo tantum indagetur vbique vera vitii indoles, ne auxilii loco damnum inferamus. Cum enim omnis, quantum constat, corticis externe adhibiti virtus in copiosa humorum euacuatione excitanda posita sit, prodesse nequit, vbi ex nimia siccitate suum auditus vigorem amiserit, cuiusmodi casum auctor refert. (pag. 109.)

Con-

Contrariae naturae fuit surditas, cuius curationem, aliis remediis haud frustra inceptam, hoc feliciter perfeci. Mense Aprili Anni 1775 vir quidam precibus me adiit, vt, si fieri posset, restituerem filium suum, valde grauiter audientem. Ipsi enim patri parum spei supererat; purgantibus nempe, vesicatoriis, aliisque sat multis per longum tempus in cassum adhibitis. Cachexiam quandam puer, duodecim annos natus, pallore testabatur, ipsi quoque parentes infirmae sanitatis erant; mater praesertim deprauatis scatebat humoribus, vnde etiam infantes, quotquot habuerat, lacteque suo nutriuerat, innumera mala patiebantur. Dudum puer fuerat tardior, parumque ad mandata attentus; quod pater, cum postea nec stupidum, nec contumax ingenium proderet, ex laeso iam tum forte auditu deducendum esse coniecit. Quinto enim aetatis anno febre miliari correptus fuerat, quae id vitii reliquisse videretur. Luculentius autem apparuit, cum duobus post annis, a casu grauiori vulnus cutaneum capite accepisset, iuxta verticem. Ab eo inde tempore malum semper increuerat, adeo, vt iam, coelo nubilo, vix perciperet, nisi vociferantes. Num

itaque ab hoc caſu, an ab illa febre primam traxiſſet originem, dubium manſit. Quod tamen, coelo ſicco ac ſereno exiſtente, facilius audiret, indicio mihi fuit, ſtagnantes in aurium receſſibus humores ſeroſos proxime in culpa eſſe; ſpemque fecit, vinci poſſe vitium, quod minus fortaſſe ad ipſam ſenſus machinam pertineret. Vermium quoque erat ſuſpicio, quibus ope mercurii dulc. et rad. ialapp. expulſis, cogitaui de reſoluenda obſtructione, diſſipandis deriuandisque humoribus, denique de aurium organis iterum corroborandis. Ergo bibere decoctum ex rad. graminis, taraxaci, foeniculi et cort. Culilawan; externe vero applicare iuſſi liquorem ex olei chamom. deſt. ſcrup. vno eſſent. ſuccin. ord. ſcrup. quatuor compoſitum, goſſypio (ad gutt. 4—6) excipiendum, ſupra datis ſacculis, ruta, ſcordio, chamom. adiecta camphora, plenis. Oleo chamom. quia valde vrebat, ſubſtitui ſpirit. ſal. ammon. ſuccinat. drachmae vnius pondere ſpirit. Mindereri vnciae admixtum; nauſeamque excitanti decocto eundem ſpirit. Minder. in mixtura ſumendum. Quibus licet notabile quid proficeretur, pallor tamen et ſegnities corporis eiusmodi adhuc

reme-

remedia fuadere videbantur, quae fibrarum compagem roborando, fanguinis conditionem emendarent. Quo fine placuit puluis cacheɛt. Quercet. fubiunɛto, at mox iterum repofito fero laɛtis, quod fcilicet, male paratum, male ventriculum afficit. Sat breui quidem tempore puer omnino valuit; immo, quod ipfe miratus fum, cum tantum non plane furdus fuiffet, iam acute audire coepit; tempeftate quantumuis procellofa. Sed auditus vitia, ex fueto in primis humorum congeftu orta, faepiffime ex improuifo redeunt, vbi plane viɛta videbantur; quod, quo diutius durauerat, eo hic magis erat metuendum. Veficatoria non adhibueram; neque, quid multum profutura fuiffent, video, cum diuturna faltem deriuatione recidiuis praeverti queas. Corticem itaque mezerei, cuius fere oblitus eram, in vfum vocaui, iunɛto tantum, ad maturandum eius effeɛtum, fuffimigio ex gummatib. roborantibus bacc. iunip. cet. Prodige ferum euacuauit; poft femeftre tandem remotus eft. Acutiffime adhuc audit, licet interdum, ne hoc filentio premam, inftante procella fufurru quodam vexetur. Audiendi tamen nulla difficultas renafcitur, quam, fine

 cor-

corticis longo vſu dudum reuerſam fuiſſe, nullus dubito. Nonne eodem facile coërceri poſſe credatur, poſthac forte reditura?

Idem plurimum leuauit feminam, triginta annos transgreſſam, tenerrimeque conſtructam, quae iam per aliquot luſtra, capite varie ac vehementer laborauerat. Oculi erant hebetes, rubore ſuffuſi, ſtillabantque liquorem, acrimonia ſua genas rodentem. Is, coelo inclementiori facto, ad aures vergere ſolebat, vt ſurda fere fieret, leuatis pro tempore oculis. Maxime autem vexabant capitis dolores, ex innato quaſi fonte arthritico oriundi. Veſicatoria, ſaepiſſime licet adhibita, vſus moleſtiam vix leuando compenſabant; fonticuli fere nulla vtilitas. Denique, me ſuadente, mezerei corticem adhibuit, qui breui quidem tempore id effecit, vt quinto iam inde labente anno, ſemper fere diſtincte audiat, voce tantum non nimis ſuppreſſa; oculi, margine licet ſuperciliorum nonnihil rubente, aciem tamen priſtinamque claritatem recuperauerint, arthritici autem dolores ſuperſint nulli. Cortice quidem, qui miram ſeri copiam fundit, nequit diu vacare; eadem vero fonticuli premunt neceſſitate: veſicatoria

nec

nec feruntur diu. In corpore iuniori, maloque minus inueterato, perfectam forte sanationem praestitisset.

Ad virum supra memoratum forte rusticus quidam venit, dum filio brachium deligabat. Percunctatus ille, quid sibi vellet id remedii? eiusque laudes laete miratus, particulam sibi expetiit, suum quoque filium curaturus, malignis vbique redundantem humoribus. Puero enim magnum et rebellem abscessum esse in brachio, labia naresque semper valde tumere, oculos fundere acris lymphae copiam, eaque genas depasci. Timidus ille quidem, vt modo hominem mitteret, dedit nonnihil fibrarum, quas nullius frugis esse putabat. Breui vero tempore hic redit, summopere virtutem remedii praedicans, nouamque eius copiam poscit. Summas postea gratias egit, filium perfecte eo restitutum esse, testatus.

Alia iam exempla praetereo, quae non minus probant, quantum saepe mezerei cortex in debellandis malis valeat, vel saltem coërcendis, quibus vesicatoria, purgantibus iuncta, non sufficiunt. Quibus non leue illud momentum accedit, quod in illa vrbe, vbi nuper ipsum cor-

ticis

ticis nomen ignorabatur, celebre iam ſit remedium, quamuis et praeiudicio et vetularum auctoritate deſtitutum.

Subiungere hic quaedam liceat de eius agendi ratione obſeruata. Breuis enim repetitio nec iis forte diſplicebit, qui pleraque in libello, ſupra laudato, multis quidem verbis ratiociniisque intexta, legerint. Sic vero repetam, vt, quae mihi incerta, quae reſtringenda emendandaque videantur, praeſertim moneam.

Auctoris praecepta ſequutus, applicui ſemper corticem, quo loco muſculus deltoideus inferne annectitur; ita, vt interiecto aliquot linearum ſpatio, tria eius fragmenta imponerem, quae iunctim pollicem circiter quadratum aequarent. Cute nondum eroſa, aceto; deinde vero aqua tepida molliri poteſt, quo fine pauca horae minuta ſufficiunt. Longiori maceratione non opus eſt; nimia forte vim minuit; multum enim gummoſarum partium extrahi, flauus aquae color indicat. Secundo vel tertio die cuticula attenuari, rubere, punctisque ſudantibus notari; quarto vel quinto plerumque, quin et prius, deſtructa eſſe ſolet. Tunc carne mortua, quam dicunt, vulnus tegitur, nihil

tamen

tamen minante, cum paucis diebus continuato corticis vſu ſponte ſeparetur. Quod ſi forte minus cito eueniat, vrgente interim dolore, lenient ipſamque corticis operationem iuuabunt folia herbar. emoll. vt maluae cet. vel linimentum ex vitello ouorum cum mellis particula vel vnguent. altheae cum cerato Saturn. mixtum. Aucto ſubinde affluxu lympha iam intra quatuordecim dies ſat largo riuo fluere iis ſolet, quibus optime conduxerit. Quandoque auctor (pag. 15 l. c.) vbi non leuare modo vel cauere morbum, ſed percurare tentat, triplicem quoque corticis quantitatem ſumit; at neſcio, an male? Quorum enim temperamento inimicus eſt, his credam incommoda potius augeri, quam euacuationem. Fauente autem natura, auctum ſane ſtimulum non facile deſideraueris. Tantam equidem vidi ſeri copiam per diei noctisque ambitum excretam, vt vel quatuor et quinque vncias videretur excedere, maiorem quis optaret? Immo etiam moderamine interdum opus eſt, certe in debilioribus; tum, quod nimia humorum iactura ſanitatem peſſundaret, tum vero, quia interdum, calida in primis aeſtate, moleſta fit. Eo enim

enim tempore, cum calor natura ſua humores expandat, ad cutem propellat, pluribusque contaminet acribus particulis, largius plerumque excernuntur, ingratumque odorem ſpargunt. Videndum igitur eſt, quid corporis conditio, tempusque ſuadeant. Aegrotus affatim bibat potum refrigerantem, lintea crebrius commutet, chartamque bibulam, pluries complicatam, qua plurimum liquoris abſorbetur, ſuperimponat: quae ſi omnino non ſufficiant, cortex aliquantiſper ſeponendus eſt.

Dolores, quos ab illius vſu fere abeſſe, ex auctore colligeres, licet non adeo duri ſint, quam a cantharidibus excitati, ſatis tamen, duratione in primis vexant; donec copioſiori lymphae profluuio ſenſim denique diluantur. Aculeatae quaſi corticis fibrillae (pag. 44. auct.) quid efficiant, non intelligo; quidni enim quilibet fere cortex eodem modo perforaret cuticulam? Quam exedi quidem, neque in veſiculas eleuari, cum limitatione verum eſt. Paruas nonnunquam natas vidi, ob firmiorem forte texturam cuticulae, forte etiam ob proniorem ſeri affluxum. Quod vero his, quibus naſcuntur, aptior remedii vſus ſit, obſeruare nondum potui.

Neque

Neque enim idem ſemper effectus ſequitur; cum, quod ſupra iam innui, quibusdam conſtitutionibus repugnet. Illud vero ambiguitatis vitium cortex mezerei cum plurimis certe remediis, immo cunctis, commune habet. Scilicet natura, certis vbique adſtricta legibus, nunquam non ſibi conſtat; noſtra autem rerum cognitio non ſatis definita eſt. Quam igitur indefeſſa obſeruatione potius amplificare decet, quo rectius olim in diiudicandis verſemur corporibus, quam reiicere remedium, cuius tamen eximia virtus negari nequit.

Corticem noſtrum, perraro licet, omnem adeo exſpectationem deludere, vt nec ruborem excitet, eiusque inertiae cauſſam eſſe in congeſtis denſisque humoribus, corrigi autem amaris reſoluentibus, purgantibus, teſtatur Cl. LE ROI. (p. 17. 18.); ego nunquam expertus ſum.

Alia frequentior eius hic notanda eſt prauitas, quam obiter, tanquam ex incauta ſaltem applicatione oriundam memorat. Mihi vero natura ſua quibusdam corporibus videtur aduerſus eſſe, cum nulla ſaepe circumſpectione mala effecta euitari queant. Vim ſuam omnino

no exercet, cutem profunde exedendo, cui tam pertinaciter nunc adhaeret, vt cum ipſa quaſi coalitus, vix calidi lactis ope ſeparetur. Dolores interim creat bene multos, ſeri autem ne guttulam elicit. Quibus non raro totius brachii tumor iungitur, vel et inflammatio: noui quoque exemplum abſceſſus, ſupra cubiti flexum contracti, qui plurimum puris fudit. Attamen horum taedio nullum fere periculum ineſſe ſolet; fomenta enim diſcutientia, liquor vegeto-min. Goul. aliaque notiſſima remedia breui aegrotum membrum reſtituunt. His quidem ac tempeſtiua corticis remotione opus eſt, inflammatione orta; ne quid renitente natura moliamur. Si tamen minus ſeuere reſiſtit, et placari poſſe videtur, tentare fas eſt, quid externe mollientia, internis reſoluentibus iuncta, forte iuuerint. Piget enim, tot fruſtra omnino ſuſtinuiſſe dolores, leuiusque diſcrimen prudenter adminiſtrata opera forſan ſuperabitur. Quo fine, praeter ſolutiones ſalium amarorum, vel decocta radic. reſoluentium, v. c. taraxaci, graminis, bardanae, commendarem in primis auenaceum illud LOWERI vel et ſerum lactis at ſincerum.

Sunt

Sunt etiam, qui peculiarem a mezereo effectum dictis absimilem, virtute medium, experiuntur, quibus, fonticuli instar, pus conficit, seri autem nihil vel perparum euacuat.

Verum dignoscere temperamenta, tutoque quid futurum sit, prouidere iudicio, labor est. Docuit tamen experientia, ex ipsa remedii indole intelligenda, hos, qui pallent, quique corpora laxiora, multisque humoribus serosis abundantia habent, plerumque et melius ferre corticem, et maiora inde emolumenta capere. Brachii tumorem plurimosque dolores creauit viro, cui cutis valde dura ac flauo colore tincta, corpus siccum est. Idem accidit feminae seniori, cui cutis stricta, constitutio valde arthritica, pituitae vitreae copia, et ad erysipelas faciei procliuitas. Virgo, quae genis, nimium quidem rubentibus et corpore satis robusto gaudens, prauis scatere videtur humoribus, dum, suo ducta arbitrio, mezerei in profliganda, ni fallor, odontalgia virtutem tentabat, tumore ingenti, inflammatione, abscessu plexa est. Illius vsum, quo molesta lippitudine et, quibus subinde vexari solet, pedum vlcusculis liberaretur, suasi nuper amico,

 sicca

ſicca conſtitutione, ſano faciei colore, cute autem valde tenera praedito, vitamque docta ſemper ſedulitate degenti. Sed profunda eroſione facta, acerbos dolores excitauit, peſſimeque adhaeſit, vt cruenta interdum eſſet ſeparatio, nec, praeter nonnihil puris, tantillum liquidi apparuit. Enimuero ex his, ſi quid recte opinor, concludi poteſt, (accuratius tamen vſum limitare non audeo) mezerei corticem minus plerumque conuenire hominibus valde ſiccis et macidis, et quorum ſanguis compactus eſt, viſcidiorique pituita refertus. Notari velim, neminem eorum, quos cortex adeo infeſtauit, nimia eius quantitate vſos vel vnquam inſoliti quid a veſicantibus expertos eſſe. Illorum igitur prauorum effectuum cauſſa neque in cutis quadam peculiari irritabilitate, neque etiam in ſtimuli ipſius vehementia videtur quaerenda eſſe, qui profecto in cantharidibus potentior eſt, multoque atrocior. Nonne vero, ex parte ſaltem adſcribantur operationis tarditati, qua fit nimirum, vt, quae, conſumpta epidermide duro cortici immediate exponenda eſt, cruda cutis diutius rodatur? Peiora ſane continuatam veſicantium applicatio-

nem

nem fequerentur mala, quae praeterea, vt nuperrime in fene foporofo obferuaui, vrethrae ardorem mictumque cruentum producunt. Fieri quidem non poteft, quin tam arcte adhaerente nudosque neruorum apices rudiori modo premente cortice, vis ftimuli ideoque dolores augeantur. Hinc obturatis vafculorum lymphaticorum orificiis allectifque fimul humoribus, praefertim acrioribus, nafcuntur facile tumor, atque inflammatio. Ceffant denique dolores, quam primum lympha vberius fluit, qua, puta, adhaefio, ftimulique atrocia minuuntur.

Veficatoriorum mentione facta, cum verus remedii valor optime decernatur comparatione, paucis hic attingere liceat, quid difcriminis illa inter et corticem noftrum interfit, ratione effectuum atque vtilitatis. Quemadmodum enim in cultiffima quaque lingua non duo facile reperiri vocabula debeant, omnino aequipollentia, quin certe fubtiliori quadam, haud omnibus forte intellecta fignificatione vnum ab altero differat: fic etiam in caftigatiori remediorum delectu vix admittenda funt, quae nulla peculiari ac notabili virtute a fimilibus

 quo-

quodammodo recedant. Atque dantur reuera, quae, dum non vno nomine ſibi inuicem ſubſtitui poſſe videantur, vigore tamen, agendi modo, variisque adiunctis viribus, ideoque diuerſa ad ſingulos caſus opportunitate, diſcrepant. Verba quidem ad verum rationalemque vſum reuocare, philoſophi eſt; medici autem, quae vulgo aequiparari ſolent, remedia ſecundum priuatam cuiusque actionem, lege in primis experientiae prudenter dirimere, ne iudicii defectu circulatorum inepte veſtigia ſequatur. Equidem non, quae coniectura ſuggerit, ſed ipſius experientiae effata curo. Quibus in comparanda vtriusque remedii natura nixi, non eſt, cur circa quaeſtionem illam, ab auctore quaſi affirmante prolatam (pag. 30. conf. c. pag. 19.) haeſitemus; num puta cortex mezerei eadem, qua veſicatoria, quantitate applicitus, toto horum munere commode fungi poſſit? Vtrumque enim humores per cutem corpori abunde ſubtrahit; quod maxime inter ſe commune habent. Id quidem experimentis explorandum, interimque veſicantibus in morbis acutis praerogatiuam deberi, haud negat. Sed, quid ſcrutinio opus eſt? Maturum ab eo

auxi-

auxilium expectari nequit, cum ad exserendas vires suas plus sibi dierum, quam illa horarum, postulet. Scilicet agendi modum parum, si quid, mutat copia, etiam si effectus deinde augetur; nec minus promte agit vesicatorium, exiguum locum occupans. Quod si tamen, aucta corticis quantitate ipsam quoque actionem accelerari ponamus; quid, quaeso, vesicantibus vel sic praestaret? Non laederet vesicam vrinariam, concedo; at forsan tumores phlogisticos, qui ab illorum vsu abesse solent, nimio autem corticis vsui, ipso testante auctore, facile superueniunt, magno aegroti incommodo, vel et detrimento produceret. Ergo nullum dubium est, vesicatoria, quotiescunque stimulus potentior ac citior requiratur, merito praeferri: contra vero feliciorem esse mezerei vsum in chronicis affectionibus, vbi multa euacuatione seri, ac diuturno stimulo opus sit: quo nomine et vesicatoria, et magis etiam fonticulos, multis adeo formidatos, valde superat. Clementius tamen simul agit, quia tardius, vt ex voto semel succedens, seri fluxus per menses, immo annos, sustineri queat,

nec tantas creet moleſtias, quantis ſtipari ſolent veſicatoria, aliquoties reiterata. Nolo vero haec adeo ſtricte intelligi, vt nullius plane chronici morbi exceptionem admittere videar, vbi veſicatorium praeferri fas ſit. Sic forte in herpete praeſtat, ipſius ſedi impoſitum. Nec ſemper votis corticem reſpondere, ſupra dixi. Immo ſane nimii eſſe in laudibus mezerei poſſumus, et fuit fortaſſe Cl. LE ROI, qui ipſum, non ſatis moderate quidem, ad melancholiam, arthritidem fixam, morbum hyſtericum, cet. commendat, quibus, cum eorum cauſſa non ſemper in latice ſeroſo exiſtat, ſaepius non medebitur. Praecipue autem conducere credo in pertinaci aurium oculorumque affectione ſeroſa; doloribus arthritico — rheumaticis, ex acrium humorum vbertate; in aſthmate, a ſimilium collectione in pulmonibus orto, aliisque malis, a temere repulſo quodam exanthemate, vel vlceribus perperam curatis; in curando potiſſimum vlcere cutaneo ſerpiginoſo, vernacula *Salzfluß* vocato; ad hemicraniam forte, denique ad cauendos hemiplegiae futuros inſultus, quemadmodum in ſene hemiplectico

ctico obferuaffe mihi contigit. *) Num forte etiam in tumoribus lacteis? c)

Suntne alia forte remedia, noftro virtute atque agendi ratione aemula? Ego non noui, nec video, quanam neceſſitate coacti, multiplicatis experimentis attentionem noftram magis femper diuideremus. Stimulantium fane rodentiumque magna copia exiftit; vnum illud numerofum ranunculorum genus quot cauſticas offert plantas? Atqui in ipfa horum virtute opprobrium eft. Legantur modo, quae Cl.

*) Vegeta is femper ad feptuaginta iamiam annos fanitate fruitus, fubito totius dextri lateris refolutione corripiebatur; non perfecta quidem, membra enim, licet plumbeum ipforum onus conquereretur, mouere tamen poterat. Larga venaefectione, purgante et praeftanti illo, quo in hemiplegia recenti nil noui praeftantius, quemque Summ. WERLHOFIVS laudatione fua tantopere ornauit, (vid. oper. med. pag. 169. 737.) fpiritu fcorbutico Draw. paucis diebus profligabatur fere morbus; reliquias vero fuftulit reditumque prohibuit cortex, brachio finiftro per fefquimenfem applicatus, facto inde non exiguo feri difpendio.

c) Schobelt. *in Berlin. Sammlung. zur Beförderung der Arzeneywiff.* IX. *Band* IV. *Stück.*

TISSOT d) de pessimo effectu ranunculi paludensis vsum secuto, notauit, ne in locum remedii et tuti et pollentis adeo ferocia surrogare tentemur.

II.

De vertigine, nausea ac vomitu eorum, qui curru vehuntur.

Nolo quaestioni operam inutiliter impendere, an inualetudo ista, cui considerandae hasce paginas destinaui, sat congruenter symptomatica audiat, nec ne? Equidem, si quid mea valeret sententia, accidentem siue fortuitam nuncupare mallem: quoniam mihi a vera et vsitata symptomatis finitione alienum videtur, quae non alium morbum praesentem ponunt, cui accedant, symptomaticorum titulo insignire. a) Sed de nomine dissentiamus: nemo enim facile negauerit, et huiusmodi fugaces affectus medico esse considerandos. Iam vero

d) epist. med. pract. edit BALDINGER. 1771. p. 163.

a) V. GAVBII instit. pathol. §. 82. 86.

vero ille, quem dico, vomitus, vertiginem, multamque nauſeam ſequens, licet breuis ſit machinae humanae perturbatio, quae occaſione remota, illico plerumque et ſine relicta noxa cedit, eſt tamen moleſtiſſima. Immo haud ſemper innocua eſt debilibus et grauiora interdum mala producere poteſt. Totum enim corpus, in primis viſcera abdominis vehementer concutiuntur, bilis flaua eodem modo, vt naui vectis b), in aeruginoſam acriorem mutatur, mutata ſummis conatibus ad vltimam vsque guttulam exprimitur, compelliturque ſanguis ad partes, ob debiliorem ſuam compagem minus reſiſtentes. At facile patet, quid inde periculi metuendum ſit herniofis, ſucco plenis, cerebri, pulmonum, hepatis, ipſius denique ventriculi ſingulari quadam debilitate laborantibus. Quae licet ad omnem vomitum grauiorem pertineant, ſuam iſte tamen peculiarem cauſſam habet, ſuaque haud omnibus eadem curationis momenta. Sed parum de eo cogitauere auctores, vt vel ii, qui vniuerſae praxeos compendia condiderunt, vix

 eum

b) VAN SWIETEN comm. in BOERH. aphoriſm. T. II. pag. 228.

eum in recensione caussarum commemorâuerint, magis etiam medelam negligentes. Ipse quidem intimius, quam vellem, multiplici quondam et odiosa experientia edoctus, disserere quaedam de hoc argumento statui. Talia vero tradam, qualia comperi, quae tamen cuncta in cunctis sic, nec aliter se habere, tueri nolo, cum sua cuique est aegrotandi non minus, quam valendi ratio.

Multi quidem c), nullo fere notabili sexus discrimine, isti malo obnoxii sunt; horum vero haud pauci sat laeta alioquin fruuntur sanitate. Alii enim, quamuis sat vegeto corporis habitu praediti videantur, vectionem, retro saltem, aegre ferunt. Contra vero infirmis nonnunquam, immo hypochondriaca, feminisque simili hysterica passione laborantibus, nihil vel parum incommodi nasci obseruamus. Vtramque tamen ad eiusmodi vectionis intolerantiam saepius disponere arbitror. Etenim non ea hic accusanda venit debilitas, quae a laxo gracilique partium mollium contextu pendet, nec quaelibet forte generis neruosi perversa

c) Decima forte hominum pars, docente BOERHAVIO de morb. neruor. p. 486.

versa constitutio; quae, nisi et indole diuersam statuere velis, certe tamen, prout variam sedem occupat, (non semper enim vniuersalis est) et reliquo corporis statu varie dirigitur, alio alioque modo functiones turbare potest. Quandam tamen cerebri debilitatem, viriumque nimiam quasi agilitatem hic requiri, res ipsa loquitur. Nausea enim et vomitio, curru vectis excitatae, vertigine potissimum efficiuntur, quae vero factam in ipso cerebro mutationem arguit, et, quo quis mobiliori systemate neruorum instructus est, eo citius oriri solet. Potest illa quidem absque omni praegressa neruorum infirmitate a caussis quibusdam externis excitari. Robustissimus quisque, in quo omnia ad normam sanitatis optimo vigore peraguntur, breui tempore mari iactatus vertigine, nausea, vomituque ad animi vsque defectum et cruoris egestionem exhaurietur. Perpaucis enim ab hoc tributo, qui Neptuno debetur, exemtis esse licet. In his deficit praedisponens caussa, nisi eam in ipsa cerebri natura inesse dicas, quae ideo statu suo perfectissimo a certo motuum genere insueta mox deturbatur. At, quibus solemne est, leuiore data occasione in

eius-

eiusmodi neruorum turbas incidere; leuior autem putanda erit, quam plerique impune ſubeunt, qualis eſt vectio; cur his, non repugnante tamen experientia, debilitatem quandam neruorum, vel haud vbique manifeſtam, adſcribere dubitemus? Quanam haec ipſa vero cerebri conditione contineatur? quidue procliuitatem iſtam in vertiginem proprie efficiat? in hoc inſcitiam meam haerere fateor. Latet fortaſſe in vltimis medullae vitalis ſtaminibus, eorumque contextu, ſupra modum mobili, faciliusque in conſenſum abripiendo; niſi inexplicabile quoddam fluidi neruei, aeque inexplicabilis, vitium ſubeſſe ſtatuas. Qualescunque autem ſint vires ille animales, id ſane obſeruationibus compertum habemus, eas, ob ipſam adeo inopiam, in impetuoſum turbulentumque agendi modum ruere. Quid? ſi vaſorum cerebri, cum arteriarum, tum praeſertim venarum minor capacitas vel et nimia laxitas in culpae partem veniat; vt, incitato humorum circulo, vel non prompte ſatis ſanguinem excipiant, vel, alueis ſuis retentum, tardius cordi remittant, vtroque in caſu cerebrum facile comprimatur? An quoque huc faciat, quod

quod Anatomicis quibusdam annotatum legimus, in nonnullis minorem cerebri vbertatem, ſpatium ergo, illud inter et caluariam interiectum iuſto amplius eſſe? id vero, cum obſervationibus nondum ſatis euicta res ſit, affirmare non auſim. Ipſe interim fide digniſſimus MORGAGNI d) aliquam aliorum obſeruatis auctoritatem addidit. *Non ſatis video*, inquit, *cur cerebrum minus magiſue a cerebro diſtare interdum poſſe, vel in viuentibus, pernegemus.* His vero ob faciliorem in oſſeos parietes illiſionem opportunius quodammodo eſſe concuſſioni, innuit. Litem dirimere nequeo: ſed quibus forte ſic conſtitutum eſſet cerebrum, iis vectione quoque facilius vertiginem excitari poſſe, neſcio, quid repugnaret?

Multum vero, immo plurimum pendere videtur a ſtatu ventriculi, ad quem haec ipſa mala maxime pertinent. Quemadmodum enim vertigo non neceſſario vomitum excitat; ita vomitus ſine notabili vertigine ſaepenumero vexat; quod haud inſuetum eſt vehentibus. In his, quae nauſeam comitari quidem ſolet, vertigo plerumque tam leuis eſt, vt dubitari queat, haec-

d) epiſt. de cauſſ. ac ſed. morb. epiſt. LI. no. 10.

haecne illam produxerit, an potius ab illa ſit producta? Scimus enim, nauſeam, licet ex propria ventriculi cauſſa natam, ſemper fere vertiginem quandam ſibi iungere comitem. Norunt porro, qui in artis exercitio verſantur, grauiſſimas vertigines vt plurimum ventriculi eſſe progeniem; eoque reſtituto, ſponte demum euaneſcere. Quo tempore potiſſimum aerumnoſa vectione fatigarer, in vertiginem fui procliuior, ſimul vero digeſtionem habui laeſam, linguam denſa ſpurcitie matutina illitam, aluum tarde obedientem. Cum autem crudorum in ventriculo colluuies, ſi praeſertim bilis copia vel indole peccat, vertigines, nauſeas, aliquando etiam vomitus excitare poteſt; quid, quaeſo, accedente idonea occaſione fiet? Immo vero, quid fiet, vbi ſimul viſcera, ad concoctionem ciborum perficiendam neceſſaria, obſtructa ſunt, munereque ſuo non rite funguntur, et varia irritamenta ſuppeditant; vel vbi ſenſus neruorum ventriculi inteſtinorumque prauo modo acuatus eſt? Atque haec eſt ratio, cur hypochondriacos, qui cum materie tales dicuntur, prae ceteris male vectionem ſuſtinere credam. Quamuis autem ventriculus

lus ita comparatus ſit et collocatus, vt grauior ab eo minime remoueri poſſit accuſatio; (qua de re infra quaedam addenda erunt;) vel propterea tamen, quia multi eum ſordibus valde inquinatum habent, nec vero male afficiuntur vectione, haud iniuſte videmur in neruorum genus aliquam culpae partem contuliſſe. Denique neceſſe eſt, effecta vertiginis laeſaeque digeſtionis promoueri iis, quae vtramque non raro ſola efficiunt; ex quibus hic plethoram, ipſique oppoſitam nimiam inanitionem, tum et ingeſta flatulenta nominaſſe ſaltem ſufficiat.

Neque hic praetermittendum eſt, iis, qui calculos ſiue renibus ſiue biliferis ductibus incluſos habent, periculoſe interdum, nonnunquam et ſalutariter a vectione rudiori vomitum moueri poſſe. Aucta nimirum actione partis continentis in calculum contentum, in primis aſperum, eoque vlterius propulſo, ex conſenſu vomitus orietur, etſi alioquin nulla peculiaris ad eum ſit procliuitas. Innotuit mihi caſus adoleſcentis, in quem iuſtiſſima calculi fellei ſuſpicio cadebat, ab equitatione plerumque nauſeabundi, immo vomentis. Apta is medela curatus, haud vltra talem paſſus eſt moleſtiam;

quae

quae in genere quidem multo rarius equitatione, quam vectione excitari solet. Equidem ipse nunquam fere, equo vectus, vertiginem, nauseam, nedum vomitum sum expertus, quae tunc temporis, si plaustro itinera instituerem, vix vnquam declinare potui.

Haec de constitutione corporis, ad huiusmodi vomitus procliuiori dicta sunto. Sed iam vlterius inuestigandum est, quid vertiginem istam, istosque ventriculi labores proprie pariat admaturetque.

Qui B. STAHLII scholas coluerunt, et viri, doctrina ingenioque pollentis, placita feruido, vt fere solent, amore amplectuntur, animam profecto, suo arbitrio cuncta in corpore suo peragentem, hic quoque solam accusabunt, excusaturi modo intentionem. Quam explicandi rationem, licet non adeo vituperem, vt artis medicae finibus prorsus velim exterminari, quin ipse, latum esse animi in corpus imperium, vltro statuam; cauendum tamen duco, ne quid nimis illi, et intelligenti quidem tribuamus, viribus corporeis inique detractum. Concipiendis enim mutationibus, quae in corpore contingunt, nec leges mechanicae, neque his

ple-

plerumque multo etiam obſcuriores animi functiones ſingulatim ſufficiunt: immo, vt verum fateamur, vſui medico hae minus commodae reperiuntur.

Medium tenuere beati.

Id quod facere molitus eſt Cl. ROSA in diſſert. *de nauſea et vomitu eorum, qui curru vehuntur.* praeſ. nobil. BÜCHNERO, Halae Ao. 1751. habita. Quatuor ille theſes doctrinae ſuae ſubſtruxit: *animam motus quosdam ſuſcitare poſſe in corpore, ob ideas qualescunque valde obſcuras, quarum ſibi ideo non ſit conſcia; ex eiusmodi obſcuris ideis ortos motus augeri quam maxime poſſe cauſſis mechanicis remote agentibus; etiam in ventriculo et inteſtinis reuera oriri motus, ex obſcuris ideis praegreſſis; ventriculum, prae reliquis viſceribus ſanguine abundantius rigari.* Quamuis autem, quae corporis ſunt, non plane neglexerit, paullo nimis tamen videtur *occulto timori* imputaſſe, quem et principem cauſſam eſſe, et nunquam hic deficere ſtatuit. Quot vero feminae, ad inanem quamlibet periculi ſuſpicionem trepidae ac vociferantes, praeter hanc ipſam formidinem, nihil moleſti patiuntur? Multoties contra vomunt alii, nec quicquam timent. Quod ſi ex

timore reuera aliquando proficiſcuntur illa incommoda, is tamen tam alte reconditus non erit, vti quidem auctori placuit, quem vel adeſſe ignoremus. Enimuero perceptiones animi, quae propter ſubtilitatem ſuam valde obſcurae ſunt, vix tantos corpori motus impertiri credam; quae vero ob confuſam multitudinem ſingulae euaneſcunt, (cuiusmodi eſſe ſolent, quae corporis functiones turbant,) coniunctim ſe mentis conſcientiae ſubtrahere nequeunt. Haud enim ignoramus, nos metu, ira cet. affici; ſed, quot quibusue perceptionibus conficiantur, id ignoramus. Interim vero certum eſt, mentis commotiones, in primis attentam anxiamque ipſius odioſae vomitionis exſpectationem, promptius eam arceſſere. Mens enim, ſic agitata, cui metuit parti, in eam praecipua quadam vi agere ſolet. Quapropter mentem, quantum fieri poteſt, variis gratisque cogitationibus delectare et hic vtile eſt. Id itaque libenter concedam, eſſe metus aliquam vim in producenda augendaue vertigine ac nauſea: negaturus modo, ab eo, tanquam praecipua quadam efficiente cauſſa vtramque proficiſci.

Num

Num vero, qua ratione, conſpectis forte praecipitiis, aliisque occaſionibus, vbi viſus ſolummodo turbari videtur, oboriuntur vertigines, eadem et hanc omnino, curru vectis familiarem, naſci credamus? Negari ſane nequit, viſum in omni fere vertigine plus minus affectum eſſe: quod et hic quodammodo obtinet. Nemo enim facile, vtut firmum habeat corpus, volitantium rotarum orbes, et retro quaſi fugiens ſolum diu ſpectabit, quin vertigine et nauſea corripiatur: vnde conſultum eſt, in obiecta remotiſſima, quippe non moueri viſa, dirigere oculos. Recte quoque Cl. SCHELHAMMER e) inter cauſſas vomituum retulit contuſionem oculorum, cuius rei exemplum nuperrime vidi: quin et exigua horum preſſione praeſentem nauſeam maximopere incitari expertus ſum. Quamuis itaque repugnare nolim ſententiae, quae M. BOERHAVII patrocinio gaudere videtur; nimirum, a viſus perturbatione in primis vectorum oriri vertiginem; tamen limitandam eſſe, neque ad viſum omnia referenda, arbitror. Cuius ſane mutationes vna cum vertigine productae, ſaepius pro parte

C 2 illius,

e) Ars medendi vniuerſ. P. II. p. 158.

illius, quam efficiente cauſſa, haberi debent. Nec deſunt exempla coecorum, quibus vertigo non pepercit: et a nauigatione coecos quoque, videntium more, affici, ipſe notauit BOERHAVIVS (l. c.). Etenim, ſi quid fas eſt in tanta rerum obſcuritate coniicere, non partem cerebri, ſed totum occupat vertigo, naſcitura, cum illud ita mutatur, (ſiue hoc ex mentis quapiam affectione, ſiue aliunde contingat) vt nec perfectas perceptiones animo miniſtrare, neque omnino eius nutibus exacte obtemperare queat. Sic vero mutuum mentis ac cerebri commercium, nunquam non aequabili quadam ratione ſuſtinendum, vacillare quaſi, et quodammodo impediri, ſaltem in grauiori vertigine, palam eſt; quae toties in lipothymiam, vel et apoplexiam abit. Sed variis modis ita mutari poterit cerebrum. Ipſi enim innatae vires, quarum miniſterio mens vtitur, dum ſentit vel imperat, quaeque neruis neruorumque functionibus praeſunt, nunc proprium domicilium ſeditioſe vexant, nunc grauiori obſtaculo nimisue continuato tumultu impeditae, agere fere deſinunt; vel etiam, ingenti ipſarum conſumptione facta, remiſſius agunt et valde inaequaliter

diſtri-

diſtribuuntur. Quibus examinatis, comparatisque inter ſe cauſſis, quas vertiginem excitare nouimus, ſaepe licet ancipiti quaſi enſe inſtructis, ad triplex genus haud temere omnis videtur reuocari poſſe. Alia enim oritur ex qualicunque *compreſſione* cerebri; ſuccuſſu, laeſionibus externis, immodica exercitatione, ſomno nimio, ſpasmis abdominalibus, cunctis denique, quae humores ad caput vrgent. Alia ſubtilem quandam *irritationem* vel et *hebetationem* cerebri ſequitur, naturam eius turbantem; affectiones puta viſus, auditus, olfactus, ventriculi, inteſtinorum; narcotica extus vel intus applicata, et id genus plura. Tertii denique generis eſt, quam pati ſolent, qui vires vitales nimio humorum diſpendio, vigiliis, ſtrenuis cogitationibus, moerore, cet. exhauſtas habent. Iam vero, quae curru vectis ſuperuenit, vtriusque prioris generis eſſe, e ſequentibus patebit.

Multum refert vecturae ac vectionis ratio. Si enim pilento, loris bene penſili, vteris, licet membris dorſoque tuo ſic pulcre parcas, multo tamen citius vertigo, nauſea vomitusque tibi naſcentur, quam quidem in plauſtro minus commodo. Citius itidem ſequuntur tardam

 vectio-

vectionem, quam properatam; in arenis, quam in solo duro planoque factam. Saepe ego, nausea et morae fastidio fere confectus, ad tempus respiraui, cum viis, lapidibus bene stratis, veherer alacrius. Sed ne subita vnquam fieret mutatio motus succutientis in titubantem, velocis in languidum: tunc enim vomitus semper proxime instabat, vix etiam continendus, si adductis habenis equorum cursus ex improviso cohiberetur. Id forte non opus est monere, vehementiores succussus, corpus hinc inde iactantes, officere plurimum. Haec quidem experientia docuit: ipsa vero eorum ratio, intime illa quidem inter secreta naturae animalis recondita, difficillime admittit explicationem. Lectores itaque libenter mihi ignoscituros esse, confido, si intacta fere relinquam, quibus extricandis vel summorum hominum ingenia nequaquam sufficiant. Neque ita tamen omnis haec quaestio abiicienda est, vt, quae ad illustrandam illam faciant, plane praetermittamus. Quae enim vertiginem ceterasque vectis molestias pariunt, sat probabili coniectura assequi possumus: quamuis, quomodo pariant, quoue nexu cum suis effectis caussae

illae

illae cohaereant, id non datum ſit, penitus perſpicere.

In quarum enumeratione primum ſibi locum poſcit *ſuccuſſus cerebri.* Vno enim vehementiori ſcimus ipſam adeo vitam extemplo deleri poſſe. Quando autem exitio afferendo impar eſt, illico tamen grauiſſimam vertiginem vomitusque ingentes excitat. Nihil itaque repugnat, leues quidem, at ſaepiſſime repetitas, concuſſiones cerebri paullatim ſimile quid efficere. Quoniam enim, fibrillis cerebri ad oſcillationes nimias atque inconuenientes adactis, ſpiritus animales ab vna directione in aliam ſubinde aliamque declinare coguntur: neceſſe eſt, iuſtum inde motuum ſenſuumque tenorem interrumpi, deinceps vero, conſentiente ventriculo nauſeam produci et vomitum. Ita nempe, qui cum perill. HALLERO ſentientes fluidum quoddam ſubtile ſtatuunt, cuius miniſterio omnes et ſenſus et motus perficiantur. Quam ſententiam qui reſpuunt, ſolidae vero medullae nerueae ſpartam illam tribuunt; aliam hi quidem, at parum diuerſam, explicandi rationem proponent. In eo enim conueniant, oportet, eſſe quendam cerebro mutationum

ſubeundarum modum et ordinem, quem, ſaluo naturae animalis ſtatu, excedere nequeat: porro autem vero ſimile eſſe, iteratis ſuccuſſibus motum quendam tremulum in eo excitari, functiones animales facile turbantem, quin grauioribus adeo ſtuporem. Sanguis quoque in vaſis cerebri facile praeter iuſtum modum accumulabitur.

Alia haud leuioris momenti cauſſa videtur *ventriculi agitatio*. Ille quidem et fibris muſculoſis et ſurculis neruorum ditiſſimus eſt, quo fit, vt eximia irritabilitate et ſenſilitate gaudeat, et cum omnibus fere corporis partibus conſpirationem alat, cum cerebro maximam. Iactato autem corpore non ſua tantum et incumbentis omenti mole vexatur, ſed quia parietes habet, cauo intermedio ſeparatos, horum mutua frictione multum ſane irritari debet. Porro, ſanguinis quoque riuulis vndique irrigatur, quibus ipſa agitatione tumentibus, tranſituque humorum accelerato (quod fieri ingratus quidam caloris ſenſus in praecordiis teſtatur) irritabilitas et ſenſilitas ventriculi augeri ſolet, quemadmodum in inflammato manifeſtius obſeruatur. Mirum itaque non eſt, continua-

tinuatis ſuccuſſibus eum, praua forte irritabilitate hypochondriaca inſuper laborantem, quin et acriori ſaburra onuſtum ad nauſeam vomitusque laceſſi. In quo rerum ſtatu talis fere naſcitur ipſi imbecillitas, qualem, hyſtericis familiarem ex SYDENHAMO notauit Cl. WHYTT f); tantam eius fieri interdum imbecillitatem docens, vt vel ſubita in lecto conuerſione, vel etiam erectione vires ſtatim ſufflaminentur, et vertigo, immo vomendi procliuitas accedant. Sane dum vehimur, quaeuis colli inflexio incipientem nauſeam magnopere auget. Tunc enim, tantillum retardato ſanguine vertigo creſcit, etiamſi huius culpa in ventriculo potiſſimum reſideat. Vomitu reiecta colluuie pax ſaepe plurium horarum illi redit: quo non valde impuro, minus quoque infeſtant turbae; vt vel diutius reprimi ſe patiatur vomitus, vel longiora ſaltem interualla concedat. Plerumque

f) WORKS. Edinb. 1768. p. 546. Nay, in ſome caſes ſo very delicate is the ſtate of the ſtomach, that turning the body haſtily in bed, or raiſing one's ſelf will immediately occaſion a faintneſſ, giddineſſ a general weakneſſ, and ſometimes an inclination to vomit.

que autem longiori nauſea bilis corrumpitur, nouum ſtimulum paratura ventriculo. Toto die olim obſtinate vomitum compeſcueram, ſed fruſtra. Veſperi enim, diuerſorium iamiam ingreſſus, grata demum itineris moleſtias quiete compenſaturus, magnis conatibus (nihil enim erat in ventriculo) praſinam bilem euomui. Quali adhuc reſidua, mare vectis, poſtquam e naui in terram ſe receperunt, grauis vertigo perſiſtere ſolet, quam dato emetico vna cum bile deprauata mox expellere praecipiunt ſummi viri BOERHAAVE et VAN SWIETEN. Cui, tantae licet auctoritatis conſilio ego vix auſcultarem. Ventriculo enim, multis iam labefactato laboribus, parcendum, neque opus eſſe videtur vomitoria medicina, quae certe nervorum tumultus ſedare nequit. Bilis autem vel ſponte euacuabitur; quod vt melius ſuccedat, hauſtus tepidae iuuabit, vel nimis profunde haerens non ſine grauiori periculo ſic vrgeri poterit.

Praeter ſuccuſſus illos, cerebrum vehementia ſua quodammodo laedentes aliud eſt motuum genus, quod quamuis haud fere incertius agat, mitius tamen agere, ipſamque ſubti-

ſubtiliorem cerebri naturam afficere videtur. Sola enim *titubatione* et blanda quidem, minimeque impetuoſa, nata prius vertigine, nauſea et vomitio producuntur, quas igitur vt euitemus, non ſatis eſt, vacare ſuccuſſibus. Vertigini autem producendae leuiſſimos quosdam motus interdum ſufficere, et aliunde conſtat. Multoties ego, cum in ponte verſatili, ab ingreſſu paullulum tremente, verſarer, ne quidem moueri me ſentiens, ita tamen vertigine correptus ſum, pedibus vt vix inſiſterem. Similis eſt illa M. BOERHAVII obſeruatio: *Si homo, firmo loco ſedeat*, inquit, *et concutitur inopinato baſis, cui inſidet, mox, licet firmus ſit, vertigine laborabit. Quum ante aliquot annos terrae motus fieret, colloquebar cum aliis in bibliotheca publica, et omnes eramus vertiginoſi, nemo tamen ſuſpicabatur de terrae motu, nemo quidquam metuebat.* g) Ex Aretaeo idem: geſtationem vel vectionem per tortuoſos et labyrintheos viarum flexus inter cauſſas vertiginis numerandam, epilepticos ergo per eiusmodi loca non ducendos eſſe. h)

Alia

g) l. c. pag. 485.
h) ibid. 486.

Alia mitto; pauca dicturus de iis, quae nervos opticos afficiendo vertiginem creare solent. Nimirum, quae curru vectis molesta accidunt, quoniam maturius illa generantur apertis oculis, quam clausis, ex parte saltem ad *visus perturbationem* referri debent. At, quotidiana obseruatione constat, tum robustis nonnunquam, tum vero in primis his, qui peculiari quadam neruorum mobilitate laborant, solo certarum rerum intuitu facillime excitari vertiginem. Videat, qui non credit. Adspiciat enim corpora, rapide in orbem circumacta; vel niuem, densa cohorte in aëre oberrantem; vel per transennam angustiorem obiectum quoddam capite hinc inde verso contempletur; vel intentis oculis lustret planum album, plurimis lineis nigris interstinctum; vel ambulando scripturam legat, pusillis litteris expressam, vel luce valde tremula illuminatam; vel denique oculorum aciem in discernenda obiecta dirigat, iusto propius admota. Diu enim eiusmodi experimenta continuare non poterit, quin vertigine capiatur. Quam in genere celerrima qualibet lucis et vmbrarum commutatione effici, constat; siue obiecta moueantur, siue homo. Iam

vero,

vero, qui curru vehuntur, toto corpore nutare, ſurſum, deorſum, ab vno latere in oppoſitum iactari ſolent: vt fieri non poſſit, quin radii lucis, a rebus circumiectis miſſi ſub perpetua angulorum viciſſitudine in oculos incidant. Quoduis igitur horum fiat, nerui optici alio ſemper alioque modo afficiuntur, ipſorumque turbatur negotium; maxime ſi effuſo quoque ſolis ſplendore coloribusue coruſcis irritentur. At magnam ſane in conturbando cerebro vim habeant, oportet, tum ob huius viciniam, tum quod ipſorum medulla craſſior, in retinamque late expanſa eſt.

In quorum contemplatione aliquanto adhuc verſemur, et videamus, num quid illuſtrandis illis inſeruiat? Sequor autem ſummi noſtri EVLERI i) de luce doctrinam, tanta nimirum probabilitate inſtructam, cui non adſtipulari ſane non poſſim. Lucem ille, ſiue radios lucis effici docet minimarum particularum ſubtiliſſimi et vbique praeſentis fluidi aetherei oſcillationibus; quibus excipiendis percipiendisque viſus, vti his, quae in aëre fiunt, auditus inſtrumentum aptum eſt et deſtinatum.

Soni

i) *Briefe an eine deutſche Prinzeſſinn. 20. Brief. u. d. f.*

Soni hae, illae lucis fenfum producunt. In vtroque enim cafu, ad iuftos neruos continuatae, tremulum his motum fibique refpondentem communicant, qui, prout varius eft ofcillationum eodem tempore numerus et vigor, confentaneam omnino fenfus diuerfitatem et vim efficiat; fonorum, fi aëris ad aures; colorum, fi aetheris ad oculos facta eft impulfio. Aerem vero aether et fubtilitate et elaftica natura plurimum fuperat: ergo qucque virtute ofcillandi; id quod ex fola lucis incomparabili celeritate abunde colligitur. Verum etiam nerui optici, qui irruentibus radiis nudi fere patent, vel ex hac cauffa, at nefcio, an etiam ex peculiari ftructurae artificio? ceteris neruis acutius fentiunt; citius ergo vehementia quadam impulfuum debilitari, ipfae vero perceptiones confundi debent. Iam autem ex his intelligi poterit ratio, cur a fola pleniore luce, colorumue rutilantium adfpectu obfcuretur vifus, immo etiam vertigo oboriatur iis, qui vel totius generis neruei, vel faltem opticorum neruorum debilitate quadam, i. e. nimia mobilitate laborant. Mihi quidem, vt hoc obiter dicam, (licet enim coniecturae coniecturam oppo-

opponere) l) in radiis coloratis, qua ratione longius a communi radio recedere ſolent fracti, eadem diminui potius, quam augeri videtur numerus oſcillationum. Cum enim, qualis a ſole proficiſcitur radius, nondum diuiſus, reuera eſt ceterorum omnium collectio et quaſi ſumma; nonne vero putetur ſimilius, (quoniam hic in putando vnice verſamur) hos, quo maiorem ſeruant cum principe illo radio affinitatem, quo moderatius franguntur, eo quoque maiorem retinere oſcillationum numerum? Id quod, ni plane fallor, vel illo ipſius experientiae argumento confirmatur, fortiori, inquam, ſuperiorum colorum in viſum efficacia, quam forte a ſolo oſcillationum vigore, non numero, pendere, repugnat eadem obſeruatio. Virides enim colores et viuidos quidem multo ſane diutius oculi ferunt, quam vel obſolete rubros.

Solam igitur oſcillationum, quae ſe neruis opticis impertiuntur, multitudinem atque impetum ſufficere nonnunquam producendae vertigini, haud abſonum eſt. Facile enim ſic illi poterunt fatigari, in primis eadem actione

in

l) *Briefe an e. d. Prinz. II. Th. 135. Brief. pag. 228.*

in easdem nerui fibrillas ſaepius repetita, vt demum confuſas tantum et quaſi fluctuantes capiant animoque reddant rerum imagines. Atque eiusmodi reiteratis in vnam nerui particulam impulſibus Cl. REIMARVS m) viſus illam perturbationem tribuit ac debilitationem, quae ſimillimorum fere quorumlibet, iuxta ſe poſitorum, parallelarumque in primis attentam inſpectionem ſequi ſolet. Cuius quidem rei accuratior quaedam inueſtigatio, cum neque ab inſtituto meo abhorreat, nec plane nullius momenti ſit ad illuſtrandam vertiginis naturam, hic mihi locum mereri viſa eſt. Viſum itaque offendi obſeruamus intuitu tabulae, quam ponamus albam eſſe et lineis ductis plenam; eo magis quidem

a. quo minoribus interſtitiis a ſe inuicem diſiunguntur lineae.

b. quo tabula maior eſt, eisdem expleta.

c. quo exactius inter ſe conueniunt lineae et interſtitia. Vix enim oculorum acies obtunditur conſpectu linearum, quantumvis aequalium, ſi paucae ſunt, largioraque ſibi interiecta ſpatia habent, quales

v. c.

m) *Neues Götting. Magazin I. Jahrgang. 4. St. p. 53.*

v. c. notis muficis confignandis inferuiunt, et minime quidem, fi his ipfis vbique interpunctae funt. Immo etiam colorum diuerfitate minui folet oculorum offenfio.

d. quo candidior ipfa tabula eft, magisque fplendet linearum color.

e. quo hic longius natura fua abludit ab albo, quem pofui, colore tabulae. Nihil fane oculis reperitur inimicius, quam albi nigrique, maxime fcilicet oppofitorum, aequabilis alternatio. Quanto autem lubentius ferant v. c. rubri cum albo mifcelam, vel iam lineas ducendo experiri licet. Cuncti denique colores, quo magis, dum franguntur, a fe inuicem recedunt, eo forte peius videntur, iuxta fe pofiti, vifum laedere.

f. quo diutius iftam tabulam contemplamur, quoque accuratius fingulas lineas diftinguere allaboramus. Numerando praefertim adeo fatigantur oculi, vt abfoluere operam, certe absque errore calculi, nequeant; eoque magis fatigantur, quo properantior fit numeratio. Idem euenire folet minuta raptim legentibus.

g. denique, quo propius tabula lustrantibus oculis admouetur. Tunc enim, ipsa musculorum actione compressi, dolere adeo incipiunt, neruique nimio labore exercentur. Ceterum, neque omnes, neque omni tempore iidem aequali modo affici solent; sed prout varia est corporis vel innata vel fortuita dispositio, effectus quoque variat.

Quae cum diligenter perpenderem, mihi quidem explicandis omnibus non sufficere visa est ratio, a Cl. REIMARO proposita. Rubrum enim per se multo acrius visum exercet nigro. Interim vero, si vtrumque cum albo componitur, hic illo se duriorem praestat. Patet inde, sola copia simillimorum impulsuum subsequentium, vel crebriori eiusdem puncti neruei irritatione rem non plane absolui: sed vim aliquam subesse ipsius, simplicissimae quidem, colorum discrepantiae. Deinde etiam, quod plurium valde similium, quae tamen in vnam retinae particulam simul incidere nequeunt, coniunctim fiat actio, id vero non parum ad effectum istum producendum conferre arbitror. Quamlibet enim diu continuetur lineae simpli-

cis

cis vel repetatur obtutus, inde tamen oculus nunquam fatigari ſolet: id quod autem accideret, ſi in crebro ſimilium radiorum illiſu in vnicum punctum retinae genuina vel ſufficiens dictorum cauſſa quaerenda eſſet. Dicam ergo, quae mihi, hac de re cogitanti, viſa ſunt: an recte? lectoris iudicio relicturus.

Enimuero viſus negotium conficitur lege ea, vt perfectiſſime quidem non niſi tantulum fere obiecti ſimul diſtinguamus; oculus ſanus interim plurimarum rerum diuerſiſſimarumque claras imagines capere, mentisque arbitrariae attentioni tradere poſſit: ne tamen radii lucis, quibus formantur, nimis importune feriant; neque alia quadam ratione confundant ſenſum, atque hebetent. Quamdiu enim, quae obtutui noſtro repraeſentantur, ita iuxta ſe diſpoſita ſunt, vel eo ſibi ſuccedunt ordine, vt ſuo quodlibet ſigno a ceteris exigua attentione diſcernere liceat, viſum nihil moleſte afficit. Quid vero? ſi vel diſpoſitionis ſuae, vel ſucceſſionis modo impediant, quo minus impulſiones, in retinam factas, toto quaſi ſenſu percipere, ſingulasque facili opera, vel omnino vlla, a reliquis ſeparare poſſimus? Quid? ſi

 toties

toties tamque celeriter neruorum opticorum mutetur fluctuetque conditio, quae ne momentum quidem temporis eadem perſiſtat? Ipſa nimirum minutorum contemplatione nerui optici vires relaxantur, nec, cum agere quidem pergant, agendi tenorem limitesque ſeruare poſſunt; exemplo eorum, qui deliciis microſcopicis pluſculum indulgent. Sed, quo magis actio multiplicatur, quo frequentiores ſimul ac imperfectiores ſubire cogitur viciſſitudines, eo ſane magis vacillabit; permiſcebuntur viſa et minus determinata quoque erit mentis affectio. — In illo autem caſu duplex reuera eſt percipiendorum ſeries, linearum vna, altera interſtitiorum: vtraque nimia conformitate ſua diſcernendi laborem tam reddit difficilem, vt inde et mens et viſus inſtrumentum mox perturbetur ac fatigetur. Ob ipſam enim ſimilitudinem et viciniam partium mens nec ſingulas facile diſcernere poteſt, neque etiam commode vna comprehenſione iungere cunctas, cum nullibi cohaereant. Quae vero ſic oritur motuum in neruo, in mente perceptionum permiſtio, eo ſane erit illa turbulentior; quo maior huius modi impulſuum numerus

defi-

definitam nerui particulam vexat; (no. a.) quo maius retinae ſpatium ſic occupatur (no. b.); tum, quo accuratior eſt omnium aequalitas, quoniam nullo diſcrimine obſeruabili notantur, nec, vbi quieſcat, locus oculo conceditur (no. c.); deinceps vero, quo acrius exercentur fibrillae nerueae, ſiue animi impetu (no. f.) in tanta ſimillimorum congerie laborioſam diſtinctionem molientis, ſiue obiecti nimia admotione; (no. g.) ſiue denique ſplendore colorum (no. d.) eorundemque iunctorum differentia (no. e.). Dum enim valde contrarii, ſalua conformitate, vices alternant, horum adſpectu neceſſe eſt, contiguas retinae fibrillas, oculo autem vel tabula tantillum motis, easdem quoque non minus contraria ratione affici. Qui vero conſtare ſibi ſenſus poteſt, qui ſatis eſſe definitus, ſi continuo mutatur, et, priori forte nondum extincto, iam diuerſo motu impellitur?

Quod in hac explicatione praecipuum eſt, limitatum illud quidem, pro rerum diſcrimine ad omnes vertigines referri poteſt, a viſus quapiam affectione natas. Num porro ad alias? inquirant, quibus volupe eſt; mihi, tantum

 diſce-

difcedere a via mea, non licet. Nequaquam autem contendo, quamlibet vertiginem aequali plane modo generari. Mentis interim in plurimis certe non vltimam habendam effe rationem, nemo erit, opinor, cui dubium videatur. Pateant fane oculi, illa vero tota profundis immerfa cogitationibus id folum agat, neque attentam fe rebus praebeat, et vertigo, alias oritura, minime nafcetur. Sed mutua eft mentem inter et inftrumenta fua neceffitas, vt, quae horum ftatum prompte fequitur fenfu fuo, fua iterum vice illum mutet, fibique commodet. Atqui, dum fentit, reagit: modo quidem, nobis inexplorato, fed perceptis inftrumentorum mutationibus confentaneo. Quae fi valde inconftantes ac turbulentae fint; fuerintne a cauffa externa productae, fiue intus natae; non alia erit percipientis animi reactio. Tum vero animi perturbationibus perturbabuntur viciffim inftrumenta, proxime ipfi fubdita. Agitatus ille quidem, fed ratione valde mutabili atque incerta, immo etiam oppofita, cerebri ftatum efficiet aeque mutabilem, incertum et fecum quafi pugnantem. Quorum iam vtrum fiat, quando diu fatis perfiftit, et paullo

gra-

grauior fit turba; id quod ex neruorum peculiari irritabilitate magis fere, quam ex impulſuum potentia aeſtimari debet: neceſſe eſt, functiones quoque, haud interrupto cerebri imperio moderandas vel tumultuari, vel eiusdem auxilio diminutas demum haerere; ſic vero ventriculum, viſcus cerebro iunctiſſimum, et valde irritabile, ad vomitus impelli, vim deficere muſculis cet. Cerebri nimirum, propriis turbis occupati, ſuſpenditur nonnihil commercium cum reliquo corpore: immo, ſi quando in furioſam vehementiam illae abeunt, et ſeſe, et omnes adeo naturae vires ad tempus ſuffocare poſſunt, tuncque adeſt lipothymia. Quae conſideranti iam non mirum videbitur, ſpero, quaslibet fere animi inquietudines ad vertiginem, porro et nauſeam producendam augendamque ſymbolum conferre poſſe: immo grauiores, terrorem, iram, angorem, ipſamque ingentem laetitiam vel mero potentius inebriare.

Mens vero, quemadmodum aut ſuis aut cerebri turbis, ſic etiam totius corporis motu ancipiti perplexa, haerebit quaſi, atque ipſa cerebro, vti hoc viciſſim reliquo corpori re-

 gendo,

gendo inaequaliter, praeſto erit: Sola igitur fluctuatio vertiginoſam vectis temulentiam creare poterit, licet nulla cerebri vexatio accedat. Qua accedente tamen, vti ſolet, multiplicatur cauſſa vertiginis. Grauiſſima ſic in terram proſternuntur pueri, ac poenas dant petulantiae, cum vni pedi inſiſtentes, corpus circa propriam axem rapide agunt: id vero, recte quidem, non vnice tamen adſcribendum eſt viſus ſitusque mutationibus, licet admodum violentis. Haud enim nullius momenti eſſe arbitror neceſſitatem illam mechanicam, qua fit, vt partes cerebri exteriores intimis eo celerius moueantur, quo maiorem eodem tempore orbem emetiri debent. Tanta motus inaequalitas haud impune fertur. Interim et hic, vti fere in omnibus, plurimum conſuetudo valet. Saltatrix enim decies et vltra corpus in gyrum cogere et ſuſtinere tamen, vtcunque temulenta, poteſt: robuſtiſſimus athleta vero, eiusmodi exercitiorum inſuetus, mox humi procumberet. Illae autem corporis et diuturnae et velociſſimae circumuerſiones, quas Monachis quibusdam Turcicis, religionis cauſſa, ſolemnes commemorauit Tournefort,

fort n), omnem omnino fidem exfuperare viderentur, nifi naturam humanam fciremus paullatim venenis adeo affuefcere.

Hic illa mihi non reticenda eft memorabilis obferuatio, effe permultos, qui vectionem antrorfum optime quidem tolerare poffint, retrouerfus nequeant; omnes vero, qui ab illa male habent, hac multo etiam peius affligi. Communibus igitur cauffis noua quaedam vis accedat, neceffe eft; vbi autem quaerenda? In ipfa mente opinor: in corpore enim nihil diuerfi contingit, nifi collocatio. Scilicet, auerfa facie appropinquari rebus non confpectis, infuetum eft, immo a natura noftra quodammodo alienum; quoniam mens corporis fui cum aliis nexum vifu praefertim diiudicat. Dum retro vehimur, fentimus quidem, nos locum, vecturam fi excipias, perpetuo commutare; cum vero locorum fuccedentium obfcuram modo incertamque habeamus notionem, fufpenfum quafi manet, mentemque importune vexat de corporis ftatu ac fecuritate iudicium. Quin etiam obiecta, quae confpicimus, antrorfum a nobis recedere videntur,

 dire-

n) Voyage du Levant. Tom. II. p. 60.

directione nimirum plane contraria illi, quam reuera experimur. Ipſi ſuccuſſibus forte a ſede eleuati toto corpore in anteriora nitimur, eodemque alieno motu ſtatim in aduerſam partem reiicimur: atque vno momento duos contrarios motus cerebrum ſubit. Ille vero affectionum conflictus actionem mentis in cerebrum reddit vacillantem ac tumultuoſam, vnde vertigo naſcitur.

Qui curru aperto vehuntur, diu ſaepe auertere poſſunt vomitum, dummodo, imminente nauſea, ſtatim corpus in pedes excipiunt, erectumque tenent. Num forte, quia ſic titubationi paullo minus expoſitum eſt? Num, quia ventriculus et ſeptum tranſuerſum preſſione tunc liberantur? An potius, quod plurimorum muſculorum actione firmitas quaedam concilietur neruorum generi, viriumque impetus a cerebro quodammodo auocetur? Vnde enim, quibus tam moleſta vectio eſſe ſolet, impune plerumque equitant? vnde breuis illa quidem recreatio, quando ex arenis ad viam emergis, lapidibus bene ſtratam? Quod denique ex improuiſo ceſſante, redintegrata, incitata vectione rebellis fit nauſea; id vero itidem

vide-

videtur tribuendum eſſe ſubito mutatis affe-ctionibus.

Sed iam breuiter narrare lubet, in iſtis in-commodis vectorum quid noceat? quid minus? quae fugienda ſint, quaeue admittenda? Eſt enim diuerſiſſima rerum externarum, tempe-ſtatis, victus, factorum, omiſſorum, ſueti ac inſueti vis et ratio, quae paullulum conſide-raſſe, vtilitate non carebit.

Qui ſpretis Aurorae donis, ſanitati non minus amicae, quam Muſis, ſomni matutini mollibus deliciis capi ſolent, ſurrecti vero ine-diam non ferunt, his, mane vehi, ieiunis ſal-tem, maxime aduerſum erit. Quibus contra, mane veſci, inſolitum eſt, a cibo ſumto potius nauſeam contrahent. Porro autem matutina vectio, quaeque in multam noctem protrahi-tur, ſtipatior eſſe ſolet moleſtiis; eo, quod tunc rore gelidus aër corporis exhalationes ſupprimit. — Statim a paſtu et intemperan-tius farto ventriculo, vehi, malum eſt. Mole enim ciborum grauis et ipſe magis concutitur, et partes vicinas premit; diſtentae tunicae contrahere ſe nituntur; nerui extenſi plus ſatis ſentiunt: vaſa coarctata obſtacula ponunt hu-

mori-

moribus, quibus vrgentur. Conducit autem modica repletio, quae quandam ventriculo quaſi fulturam ſuppeditat, ne nimis iactetur, propriisque atteratur parietibus. Quo iam impuro per ipſamque nauſeam et vomitionem fatigato, ſumendorum ſane accuratior modus et delectus habeatur, neceſſe eſt: nec gulae ſalacis appetentiae promiſcue obtemperetur. Ex cibis nimirum, qui mollitie ſua ventriculum laxiorem reddere, et conſpurcare ſolent, fugiendi ſunt: vti piſces mucoſiores, oua, pulmenta et lacticinia; duri etiam et digeſtu admodum difficiles, quales ſunt legumina, carnes fumo duratae cet. Maxime vero pinguia nocent, quoniam et robur ventriculo demunt, et mox, acore contracto, ingenti cum ſtimulo irritant: quo vitio prae ceteris notantur pinguedo anſerina, ſuilla et piſcium. Non opus eſſe duco, monere, quae eſculentorum genera conueniant. Obſunt, ergo abſint ſorbitiones tenues aquoſae, iuſcula tenuia copioſa, (meracis enim leuiterque aromate carminatiuo, vt cumino, conditis locus eſt) potus tepidi, in primis infuſum theae, largiter ingurgitatum, cereuiſia feculenta, ſubauſtera. Vinum adeo, niſi

nisi quidem stirpe ac virtute generosius, commendare non ausim, minime calefactum. At spiritus vini magis etiam vituperari debet. Licet enim initio gratum stomacho sensum adferat, languentemque ad tempus reficiat, mox tamen degenerans molestissimum ardorem producit: quo nomine et hunc et elixiria et cuiusvis nominis liquores spirituosos haud immerito damnauit Cel. SAVVAGES o) Adde, quod humoribus sursum compulsis caput onerent, ideoque ad vertiginem disponant. Attamen in his omnibus multum a consuetudine pendet. Eius vero, quanta etiam cunque potentia est in moderandis nociuorum effectibus atque in ipsa demum constitutione eatenus mutanda, vt vectione vel mitius vel nihil fere afficiatur: vna tamen res est, quacum equidem in gratiam redire nunquam potui, fumus, inquam Nicotianae praeparatae. Licet enim odio illum minime habeam, neque abhorream plane ab eius vsu, immo etiam vectionem iam satis aeque ferre sueuerim; iste tamen, dum vehor, adeo semper mihi infestus est, vt vel nubecula, oculis haud conspicua nares praeterlabendo, dormien-

o) Boiss. de SAVVAG. nosol. meth. T. II. p. 343.

mientem nauſeam excitet, ante motam ſummopere exaugeat. Deamatus autem aurigis mos eſt, eum, foetentis ſaepe, ipſis tantum non ingrati odoris fumum bibere, nec curare, quid, dummodo ſe oblectent, aliis moleſti ſint. Eiusdem herbae puluis, quem dicunt ſternutatorium, non obſtante vſus familiaritate, nunc, violata quaſi fide, alienos effectus producit, modo tardius. Haud abſimili ratione vertigini ac nauſeae fauent in genere, quae halitu ſuo potentius odoratum feriunt, in primis quae ſtupore quodam afficiunt caput, ideoque hyſtericis odioſa eſſe ſolent, v. c. flores Iaſmini, hyacinthi, Syringae Hiſpanenſ. liliorum: vix exceptis caryophyllis hortenſibus, roſis aliisque odorem licet moderatiorem ſpargentibus. Reuera enim in hoc ſtatu neruorum genus ſubſimili quodam modo, vt in paſſione hyſterica, videtur eſſe diſpoſitum, tamque peruerſa ſenſilitate laborare, vt leuiſſimo ſtimulo nimis moueatur. Nec mirum, quibus rebus procreatur quandoque malum, iisdem praeſens exacerbari. Verum, quid fumus ille tabaci, quid odores illi in ſanis, ſed inſuetis debilibusque efficere ſolent, non attingo, quippe in vul-

gum

gum nota. Ventriculus autem immediato cum odoratu non minus, quam guſtatione, conſenſu vel absque vertigine ad nauſeam vomitumque compelli poteſt. Tanta quidem, excitata ſemel vertigine ac nauſea, ſtimulorum intolerantia eſt, vt vel artuum voluntario motu, capitis flexione, gulae per aſcendentem puluerem, loquelam, cachinnum, irritatione confeſtim exaſperentur. Exacta vero ſenſuum artuumque quiete mirum, quantum vomitus contineri interdum poteſt, vrgente etiam nauſea. Id quoque experientia didici, longam et tardam aëris, frigidi in primis, inſpirationem, ſaepe repetitam, multum ad domandam nauſeam, vomitusque cohibendos facere; multa vero exſpiratione malum exacerbari. Exacerbari enim neceſſe eſt, ſi, retardato ſanguine, vaſa cerebri nec non ventriculi tument; quod ſub exſpiratione fieri, phyſiologia docet, atque in hoc ipſo caſu ſenſus adeo indicat. Ita vero premitur magis cerebrum, creſcit ventriculi irritabilitas: adde, vomitum etiam cum ſumma exſpiratione fieri. Ex hac potiſſimum cauſſa intelligitur, cur loqui multum et cachinnos edere tam moleſtum ſit nauſeantibus. Dum

inſpi-

inſpiramus vero, vaſa pulmonum capaciora ſanguini a corde propulſo amplius patent, deturget cerebrum, per cuncta viſcera melius ſuccedit humorum tranſitus. Quoniam autem, quaecunque liberrimum ſanguinis e capite reditum impediunt, nouam vertigini praebent commoditatem, dubia eſſe nequit ratio, vnde nimis anguſta veſtimenta, collum maxime et pectus ſtringentia, nauſeam reddant peiorem. Prodeſt tamen, cingulo moderate vincire abdomen, cibis adhuc vacuum, ne nimis forte viſcera ſuccutiantur.

Neque in hoc argumento, quid tempeſtas valeat, praetermittere fas eſt; valet autem plurimum. Ceteris enim paribus, cum aëre frigido puroque frui datur, multo minus vexabunt vectionis incommoda. Frigidus et ſiccus aër, ob maiorem, quo gaudet, elaterem, facilius videtur pulmones replere atque explicare poſſe. Potentius ergo iuuat circulum ſanguinis, niſi hoc emolumentum ipſius puritati et frigori potius, quam elaſticae virtuti debetur. p) Frigore enim fibrarum animalium pro-

p) Haud temere enim negat Cel. DE LVC, ſuo omniumque Heluetiorum exemplo, aëris aucta vel

proprio elateri momentum addit haud exiguum, totumque ſic corpus roborando humorum per minima tranſitum egregie promouet, et potenter neruorum nimiam refraenat mobilitatem. Deinde vero, quia ſiccus aër excipiendis vaporibus apprime aptus eſt; et hoc nomine corruptorum exhalationem iuuat, ſine virium iactura. Verum tamen, contra frigoris iniurias ſat corpus munitum habere oportet veſtibus, ne forte ora cutis exhalantia occludantur, nec, conſtricto lumine vaſorum exteriorum humores ad viſcera redundent. Pulmoni-

vel imminuta denſitate motum cordis et pulmonum notabile quid mutari, vituperatque medicos, hac ratione vſos in explicandis affectionibus, quibus multi, deſcendente mercurio, obnoxii ſunt, cuius rei genuinam cauſſam ipſe quaerit in aëris natura, vaporibus variisque admixtis varie corrupta. Facile interim cum ſupra dictis ſummi viri ſententia conciliari poteſt. Imminuto quidem elatere, quo aër potiſſimum inſeruit reſpiratione nihil hanc mutari, vix probabile eſt; forte autem frigida ſiccitate defectus compenſatur. V. DE LVC *Reiſen nach den Eisgebürgen von Faucigny in Savoyen*. pag. 128. ſq.

monibus quidem, nulla labe correptis hic quoque gratus ac ſalutaris eſſe ſolet aër paullo frigidior. Mox enim, dum intrat haec loca, calidis vaporibus adeo madentia, magnam partem priuatur frigore ſuo, neque viſcus facile laedet, quod tam viuido curſu ſanguis permeat. Sed refrigerationem reuera nauſeam intendere ſentient, qui pedes maximeque abdomen nimis negligenter ipſi exponant. De ventis eadem fere tenenda ſunt. Qui, ſiquidem moderato afflatu aeſtum temperant, iunctum cum iucunditate emolumentum habent; ſi gelu corpus perſtringunt, feriuntque diutius faciem, ſtuporem, eademque in genere damna, ſed potentius adferunt, quae admiſſus frigidus, at non permotus, aër. Qui quidem valde ſimul nebuloſus aduerſior etiam eſt nauſeantibus, magis tamen humiditate, quam frigore. In nubibus autem verſari, quales interdum exiſtunt, quae, fumi inſtar, fauces et pulmones exaſperant, immo etiam odoratu percipiuntur, peſſimum. Multo melius ſaepe fertur pluuia, in primis, ſi forte coeli feruorem extinguit, et corpus, aeſtu languidum modico refrigerio reficit. Enimuero tempeſtas perquam calida humida-

midaque, quemadmodum fere omnibus, qui neruorum debilitate laborant infeſtiſſima reperitur, ſic iis quoque, quibus vectis nauſea et vomitus moueri ſolet. Calor enim, quem vngulis equorum, rotisque properantibus exturbata pulueris moles haud parum auget, totius generis neruei robur infringit, cordi, vaſisque vires motrices detrahit, ſimulque ſanguinem in maius extendit volumen, vnde celeriori quidem, at imbecillo motu per corpus fertur. Oritur itaque ſenſus languoris, et quaſi ſuffocationis; aeſtuant pectus et praecordia. Quibus ſane efficitur, ſtagnare tunc humores in ramulis venae portarum, viſceribusque diaphragmati ſubiectis: commotam bilem, iam acriorem, ſtimulum addere, inde vero facilius nauſeam excitari. Taceo de capitis repletione et per eam augenda vertigine.

Hiſtoriam his ſubiungere liceat vertiginis, quae me puerum quindecim annos natum, diro modo prehendit: illuſtrat enim hactenus dicta. Mane, mox a ſumto ientaculo, cum in horto eſſem, flexisque genubus in plantis contemplandis nonnihil commorarer, erectus deinde animaduertebam, obſcuratum mihi viſum eſſe,

 ita,

ita, vt vnum rebus, quas adſpicerem, latus, dextrum modo, modo ſiniſtrum, deficere vel paullatim euaneſcere videretur. Nihil interim peioris adhuc ſentiens metuenſue, obambulare pergebam; tandem, creſcente caligine, inſtantis periculi metu perculſus domum lectumque petebam. Tunc vero dolor oculos inuadebat, a leuiſſimo initio ad ſummam cito euectus ferociam, ac ſi pondere quodam, ſuperne incumbente et ſubinde aucto verſus fundum orbitae deprimerentur. Mox ad intimum ille cerebrum penetrabat, praeprimis tamen oculos occupabat et frontem; (qualis plerumque turgentes ventriculi ſordes arguit,) vt dehiſcere mihi cranium velle, oculique viderentur e ſedibus ſuis protrudi. His nauſea accedebat, et, elapſa forte hora dimidia, vomitus, quo vel decies repetito egerebam primo quidem multa cruda et pituitoſa, deinde aeruginoſam bilem, donec, reiectis omnibus, quae in ventriculo, duodeno, et ipſa forte fellis veſicula irritauerant, quieti me dare poteram, licet ferueret etiamnum dolor capitis. Poſt ſomnum trium horarum pacatus quidem tumultus erat, remanſit autem laſſitudo artuum, et tanta

capi-

capitis debilitas, vt me mouere nequirem, quin vehementer pulſarent eius arteriae, et ipſe dolor recrudeſcere minaretur. Octies vel decies poſtea ſimili correptus ſum affectione, ſed mitiori. Ex improuiſo ſemper cum viſus obſcuratione coepit. Nocuit, quo inſtans malum abigere tentabam, potus, Caffée dictus: infuſum theae eo quidquam profuit, quod incideret pituitam, vomitumque promoueret. Aliquoties, ſumto ſtatim liquore anod. Hoffm. et multa frigidae ad frontem et oculos applicatione effeci, vt praeter ſtuporem quendam abſoluerer ceteris. Vnam vero hiſce inſultibus medicinam noui, vſu exploratam, qua certe nulla tutior, forte etiam nulla efficacior. Somnum dico. Quoties enim oculorum impotentia monitus, nec dum dolentibus illis, absque mora ad perfectam quietem me componerem, atque excuſſa omni cogitatione, ſomno totus vacarem, hunc nactus medicum, ſoſpes expergiſcebar, ac ſi in ipſius Aeſculapii aedibus dormiuiſſem, ſuperſtite tantum imbecillitate capitis, quaſi relicto quodam profligati hoſtis veſtigio. Exemplum quoque propoſuit Cl.

WARBVRG q) cephalaeae periodicae vomitibus ſtipatae, nec tamen mitigatae, quae non, niſi ſomni longioris beneficio remoueri poterat, eo autem perfecte remouebatur. Tanta eius vis eſt in ſopienda cerebri neruorumque commotione, eorumque mobilitate refraenanda, licet cauſſam irritantem in primis viis relinquat. Vtiliſſimum ſane et his eſt, quibus a vectione nauſea, quieſcere ſaltem, ſi dormire nequeunt.

Iam vero de remediis, noſtro malo adhibendis, pauca monere debeo. Internis quidem vix opus videbitur, cum eiusmodi cauſſam occaſionalem habet, quae remoueri pro lubitu poteſt. Illae enim moleſtiae ſaepiſſime cauentur, certe minuuntur, alia nimirum ſuſcepta, frequenti ambulatione. Ipſe quoque vomitus plerumque leuat, ſat longo interuallo, quem igitur data opera cohibere, nemini ſuaſerim, cum ſic impurus ventriculus ſine emetico purgetur. Verum neque ſemper contingit illud leuamen, vel nimio pretio ſic emitur miſeris. Quos niſi fato ſuo, quocum ipſis per integros ſaepe dies luctandum eſt, relinquere plane malue-

q) Diſſert. de vomitu periodico a cephalaea periodica orto. Halae 1770. p. 11.

maluerimus, de remediis cogitari oportet. Quae ad diaetam, ſupra iam tetigi. Aptiſſima autem huic malo a ſummis medicis cenſentur *narcotica*, quibus, puta, inordinatus ſpirituum motus optime compeſcatur. Vtilitatem exemplo virginis probat fide digniſſimus TRALLES r), *quae, quoties retrorſum ſedebat, poſt aliquot horae minuta vehementiſſimis vomitibus, ad animi deliquium vſque affligebatur, parentibus interim paullo durius volentibus, vt huic corporis motui adſueſceret.* Suaſit, *vt quadrante horae, antequam currum ingrederetur, ſumeret pilulam opiatam, eidemque ſuperbiberet bina cochlearia aquae cinnamomi; ſic bene ſe habuit, et ſenſim malus hic habitus expugnatus eſt.* Equidem minime negauerim, naturam mali admittere ſaepe opii vſum, nonnunquam et poſcere. Prudentis autem erit, non, niſi omnibus ante conſideratis, caute adminiſtrare illud, quod et emolumenti et damni plurimum adferre ſolet. Quibus enim ſanguinis eſt abundantia, vel expedita ad caput congeſtio, his profecto nocebit. Temere etiam adhiberetur, vbi, vt fere ſolet, praeter neruorum nimiam mobilitatem ſordes ventriculi ad-

 ſunt

r) Vſus opii Sect. III. p. 86.

ſunt craſſiores, viſcerumque infarctus. Quibus quidem, longius iter inſtituentibus, optime conſultum fore duco, ſi aliquoties vomitum perpeſſi demum purgato ventriculo, ſumant pilulam opiatam, melius iam et ſecurius ſopituram effrenatos motus. Quatuor pilulae formentur e granis ſeptem extracti caſcarillae, vno extracti opii aquoſi; quarum vna alteraque pro re nata ſumatur, horae dimidiae interuallo. *Spirituoſa* opiatis actione affinia ſunt, ſimili ergo exiſtimatione digna. Sed id praeterea habent vituperii, quod ſaepe ventriculi ardorem ingentem producunt, vt ſupra iam monui. Finita tamen vectione, tumultuque iamiam compoſito, niſi aliud quid obſtat, in vſum vocari poterunt ad refocillandas exhauſti illius vires. In genere autem ventriculo maxime proſpiciendum eſt. Ex *aromatibus* mitiora commendationem omnino merentur, quae ventriculum corroborant, motum vero ſanguinis non valde augent. Aquae ſtillatitiae cinnamomi, menthae, cumini nonnihil cum pane comedendum, flauedo citri vel aurant. ſaccharo infricanda, cui liquor anod. quoque inſtillari poteſt, et id genus plura e re ſaepe

erunt.

erunt. Calidiora vix concedenda, niſi primae viae ſatis purae ſunt, neque timenda eſt humorum commotio. Mihi quidem aromata, ſi quid ante vectionem dare volumus, praeferenda videntur opiatis et ſpirituoſis: illis, quia roborando proſunt, quod prorſum abeſt a natura opii; his, quia ſodam non producunt, ſed potius praecauent, quae debili multumque agitato ventriculo facillime ſolet excitari. Eo autem facilius haec ipſa, quin et nauſea oborietur, ſi gaſtrici humores acido quodam fermento infecti ſunt, cui ſoli quandoque vertigo et vomitus ortum debent. Summae tunc frugis erunt, quae acidum imbibunt, vtique, ſi nouum etiam robur fibris languentibus impertiunt. Vtrumque optime praeſtant *Martialia*, ſed ne ſtatim a paſtu ſumantur. Largam tincturae Mart. quantitatem cum aqua quadam aromatica ſumtam nec non hauſtum vini rubri gallic. auſteri et ſubadſtringentis profuiſſe vidit Cl. TRALLES. (l. c.) Non minorem laudem hic mereri credo puluerem illum officinalem, cachecticum quercet. in quo cum marte iuncta ſunt abſorbentia et gratum cinnamomi aroma. Nec contemni debent *amara*, quae iure ſuo

ſtomachica audiunt; quoniam pleraque blando et ſubaromatico ſtimulo calefaciunt mediocriter, roborantque, immo et ſic neruis amica ſunt, et acidi vim hebetant. Egregie itaque vel omnibus conueniet elixirium illud viſcerale HOFFM. ex eiusmodi amaris paratum, cui, ſi pretii caritas vſum vetat, vel mera vnius alteriusue extracti, v. c. Cortic. Aurant. in aqua aromatica ſiue in vino rubro ſolutio ſubſtitui poteſt. His, ex *adſtringentium* genere vnum illum caſcarillae corticem, amaritudine non carentem, adnumerare liceat, qui vel eodem modo, ſoluto nempe extracto, vſurpandus, vel et pulueris forma cum elaeoſacch. quodam miſcendi, praecipua quadam virtute pollet, in moderanda nimia irritabilitate ventriculi. Quibus non male iunguntur *externa* quaedam roborantia, quae vel ſola interdum ſufficient. *Vomitum a vectione*, inquit Cel. VOGEL s) *optime auertit ſpiritus Roſmarini in charta emporetica extus ventriculo adplicatus.* Tot alii, quin vulgaris ſpirit. vin. gallici idem praeſtant; praeſtabit etiam electuarium theriacale, emplaſtri for-

s) Praelect. de cognoſc. ac curand. pr. c. h. affect. p. 436.

forma adhibitum. Superstitiosa denique, qualia vbique inuexit hominum stultitia, relinquantur vetulis.

III.

Historia vomitus chronici cum cardialgia.

Cum illa scriberem, rediit in mentem memoria vomitus grauissimi, cuius historiam, licet aliqua parte mancam, tot aliis tamen, quotidie in lucem editis, casuum medicorum enumerationibus addere haud dubito; cum morbum tradat, neque admodum vulgarem, neque omnino insolitum. Nobilis femina, trigesimum aetatis annum circiter agens, structuraque teneriori praedita, dudum iam conflictata ventriculi aerumnis die Vto Aprilis 1776. me sibi medicum arcessiuit. Illa quidem virgo colicis doloribus nonnunquam, et cardialgiae, obnoxia fuerat. Vltro quoque fassa est pessimam, qua huc vsque peccauerat, consuetudinem, cibos parum masticatos auide deglutiendi. Circa festum nati Saluatoris iterum puerperio satis molesto defuncta, ventrem gesse-

gesserat adeo expansum, vt gemelli exspectarentur. Sed foetum edidit paruum cum ingenti aquarum copia. A medio inde grauiditatis tempore aliquamdiu frequens infestauerat cardialgia, vomitibus comitata: lactis vero tepidi largo potu deinceps mitigata. Puerperio satis tamen feliciter peracto, fluxus menstruus redire recusauit; nec nisi tribus abhinc hebdomadibus denuo scaturire coepit, cum iter faceret versus maritima. Iam vero, qui vix vno post partum mense elapso pristinos impetus subinde renouauerant dolores ventriculi et vomitus, nunc, facta sine dubio refrigeratione, sicque interrupta purgatione vterina, atrocius perrexerunt. A lacte poto iam breue solatium. Multa praeterea in cassum adhibita sunt; inter haec vomitorium, excusando quidem, at periculi pleno consilio. Sanguinem quoque e pede misit, eumque valde pituitosum, minus rubrum, in aqua mox, filamentorum forma, spissatum. Hactenus relata: sequentia ipse exploraui. Ventriculus nonnihil inflatus erat, nullibi vero detecta durities; magna ructuum, qui cum dolore emittebantur, copia. Aluus semper adstricta, vix etiam clysmatibus

obtem-

obtemperans; faeces, ſi quid egereretur, duriſſimae, ouinis magnitudine, figura, immo et colore, ſed ſubuiridi, perquam ſimiles. Cuiusvis cibi vel potus licet tantulum ſumeret, conceſſa nunc longiori nunc breuiori mora, ingentes ventriculi et ſpinae dorſalis cruciatus oriebantur, ipſius partus doloribus, affirmante aegra, multo etiam vehementiores, ad manus contactum quoque rebelles, vna cum anxia et difficili reſpiratione. His, a coena in primis, nullum leuamen, niſi omnibus laborioſa vomitione reiectis; crudis omnino, vt vel rob ribium, pridie deglutitum, integre redderetur. Sed proxime ſumta retineri, ante duodecim, immo vel viginti quatuor horas, ingeſta prius expelli videbantur. Nulla vero reiectorum ad ingeſta proportio obtinebat: mirum ſane, tantam humorum vim corpus humanum ſuggerere, vel iacturam vel per menſis dimidium ferre potuiſſe. Iſta quidem mucoſa colluuies odorem et ſaporem habebat, acidam corruptionem arguentes, colorem badium, nec tamen, quantum oculis detegi poterat, cruore tinctum, tenacitatem pituitae, qua re ipſa maximam partem conſtabat, admixtis ciborum fragmentis.

Talis

Talis hic profecto colore ac confiftentia liquor erat, qualem me reperire memini in turgido abdomine virginis nobilis, quam hydrops fuffocauerat. Finito vomitu pacata quiefcebat malorum turba, quin faepe exterminata plane videbatur. At interim nouas infidias parari monebant ructus acidi, foda, obtufa quoque preffura circa fpinae dorfalis vertebras, quibus adiacet pylorus. Inteftina plerumque nec dolere, nec murmurare folebant. Nondum extenuatus erat corporis habitus; febricula tamen non vacabat. Pulfum habebat mollem celerem debilemque; faciem mediocriter rubentem; vrinam modo paucam et fubrubram, cum nubecula, modo copiofiorem, interdum aquofam, faepe etiam cum fedimento limofo. Linguae nihil fere adhaerebat fordium; ipfo enim vomitu forte purgabatur. Denique et hoc notari debet, dolores iftos et vomitus noctu potiffimum exercuiffe miferam.

Mihi quidem, peffima quaeuis clam auguranti, prima cura fuit, acidi ftimulum obtundere, aluique remouere repagula. Praefcripfi eo fine magnefiam albam, clyfmata emollientia cum femine foenugr. atque vnguentum

mol-

molliens et carminat. quo dolens regio ventriculi illiniretur. Ructus inde frequentiores; dolorum aliqua remiſſio.

d. 8. Apr. dedi animam rhab. cum liqu. terr. fol. tart. et ſpir. nitr. dulc. loco magneſiae.

d. 10. Tota nocte praecedente optima quies, mane ſedes naturali ſimilior, ſequenti nocte multi ſine vomitu dolores.

d. 11. decoct. rhab. cum paſſul. min. et liqu. anod. datum eſt. Multi inde dolores etiam inteſtinorum; tumor flatulentus ſub coſtas ſpurias dextri lateris et verſus regionem lumborum.

d. 15. infus. rhabarb. c. pauco ſale mirab. Gl. clyſmata cum ſapone veneto et ſale gemmae; faeces multae, ouinis ſimillimae.

d. 18. Rhabarberinis, quippe taedium et tormina efficientibus, ſubſtitui ſolutionem ſal. abſinth. ſucco citreo ſaturati. Iniecto enemate multa pituitoſa et globoſa ſubducta.

d. 19. Summa dolorum vehementia; torpor vnius brachii et pedis; adaucta ſimul cardialgia. Veſperi pediluuio vſa eſt. Nox tranquillo ſomno tranſacta.

d. 21.

d. 21. Cessauit torpor. Dolores parum vexaverunt. Vesperi pediluuium; de nocte saeui dolores. Vrina limosa.

d. 22. Tormina. Dolores brachii et pedis, solutio absinth. continuata.

d. 24. Praeter dicta quoque ardor intestini recti.

d. 25. Clysmata mere reiecta; Sed post horam sedes quinque vel sex molliores. Sequenti nocte tamen multi dolores ventriculi, intestinorum, pedis et brachii. Salina nunc seposui: propinaui autem decoctum radicum gram. glycirrh. et polypod. nec non mixturam cum absorbentibus et Syr. emulsiuo.

d. 26. et sequentibus diebus remissio dolorum, sudor moderatus, quouis iniecto clysmate aliquot sedes molliores.

d. 1. Maii. Ardor ventriculi; vomitus pituitosi; dolor exiguus. Aluus sponte matutinis horis; noctes quietae; ad primam lucem obtusi quidam dolores, praesertim ad spinam dorsi. Appetitus ciborum renascens. Dedi nunc extract. Cort. Peruv. et cascarill. in anim. rhab. et liqu. terr. fol. solutum, continuato mane et vesperi absorbentium vsu.

d. 9. Maii.

d. 9. Maii. Eadem rerum facies: Aluus aperta; ructus acidi; dolores obſcuri intercurrentes. Menſes inſtare viſi. Dedi decoct. Quaſſiae.

d. 10. Iter iterum inſtituit Wismariam, me quidem fere inuito. Febris tertiana ex morbo ventriculi conualentem corripuit; praemiſſis praemittendis, decocto ſaturato Cort. Per. curata. Cetera ſat bona.

d. 23. Vrina ſaepe aquoſa, qualem hyſtericae mingunt. Febris plane victa. Rurſum vero increſcens ſoda, periodice, hora quinta pomeridiana, recurrens, per aliquot horas importuna. Noctes tranquillae: ſed, Aurora appropinquante, iterum dolores ventriculi, quin etiam vomitus. Menſes nondum reuerſi.

d. 2. Iun. Ad ſordes pituitoſas blande ſubducendas, ventriculum vero ſimul roborandum praeſcripſi pilulas ex rhab. cum oleo cajeput, atque elixirium amarum, illis ſubiungendum; quae quidem optime votis reſpondere viſa ſunt. Aluus enim quotidie ſponte exonerata; nullus ardor ventriculi; nullus vomitus; nulli denique dolores, niſi vagi interdum et valde leues ex ſpaſmo flatulen-

tulento; quies nocturna optatiſſima. Loco pilularum deinceps Quaſſiae infuſum repetitum eſt: iamque cogitare coepi de aquis Pyrmontanis vel Spadanis in vſum vocandis. Perfidus morbus autem breues tantum inducias fecit, cum pace ſperata laetaremur.

d. 30. Iun. Paullatim enim recurrunt ſueta ſymptomata, certe a grauiditate haud profecta, quam quidem experta ac prudens obſtetrix adeſſe contendit, aegrota cum marito pernegat. Interim per duos menſes, me quoque lubente, abſtinet medicamentis, ſolis diaetae praeceptis ſe adſtringens. Tandem, initio Septembris, ingraueſcunt mala: accedit magna debilitas, extenuatio corporis, ſitis plurima; hecticae febris ſigna, licet adeo calor iuſtus ſaepe deficiat. Iamque per totum ſemeſtre fluxu naturali caruit. Deſunt vera indicia grauiditatis. Vehementiſſimi dolores ac vomitus infeſtant, maxime poſt coenam; prius vero, quae prandio aſſumpta ſunt, ſemidigeſta et cum acore haud exiguo redduntur. Aluus tamen aperta manet; nox ſatis tranquilla; appetitus bonus.

d. 9. Sept.

d. 9. Sept. Sumit mixturam lenientem, deinceps animam rhab. cum aliquot guttis olei tart. per deliqu. extus vero ventriculo et dorſo, vbi immanis ſaeuit dolor, applicari ſuadeo empl. hyoſciami, cum tertia parte empl. de meliloto; quo adhibito, ceſſant fere ex toto dolores, nunquam redituri; perſiſtente tamen vomitu.

d. 16. Ominoſa debilitas; caput quaſi temulentum; ſplendores oculis obuerſantes; pulſus non paruus. Venaeſectionem efflagitat.

d. 23. Dolores plane nulli; vomitus alternis diebus ſemel. Me fere inuito ſanguinem miſit, qui niger eſt, denſa cruſta contectus, ſero carens. Ex ſiti, ſumma debilitate, conſumtione corporis tabes cognoſcitur. Decoct. Cort. Peruv. et Quaſſiae in primis adhibetur; ſubinde iulapium reficiens.

d. 7. Oct. Octies hoc vno die vomitus aquoſus *flauo — viridis*, at nullus etiamnum dolor. A leui motu lipothymia, ſingultus. Pulſus valde debilis; ſitis plurima; obſtructio alui; vrina cereuiſiae recens coctae ſimilis; ſomnolentia quaedam; faeces, clyſteribus eliciendae, ſubdurae, ſed colore et odore naturales;

F 2 lin-

lingua nec valde fordida nec ficca; fapor amarus modo, modo fubdulcis; reiecta non amplius acida.

d. 23. idem ftatus. Dolores aliqui circa vmbilicum; tenfa hypochondria; abdomen nonnihil durum. Applicato epithemate femiuinofo, iniectoque clyfmate, quinque fedes liquidiores. Vomitus autem crebrior, cum multa materia, anxietate, remanente conatu vomendi, infequente fapore amariffimo. Succus citri, potui in faporis gratiam admixtus, prae ceteris vomitum mouet. Frequens mictio.

d. 26. Creberrima animi deliquia patitur; feces in lectum emittit; materia vomitu eiecta copiofiffima, flauo — viridis, odore acido corrupto; tabes confummata. Quae fumit, cruda per aluum reddit. d. 26. mane vomitus putridi et foetidiffimi.

d. 30. denique exfpirauit.

Vtinam defunctae vifcera luftrare licuiffet. Vno enim obtutu nonnunquam detegitur vera tot malorum cauffa; quae, quamuis etiam fimpliciffima, faepius inueftigari tantum, quam inveniri folet ratiociniis. In eo quidem facile

omnes

omnes cum FR. HOFFMANNO a) conſentient, continuas et quotidianas ingeſtorum vomitiones non tam ex humorum, quam ſolidorum, vitio proficiſci; praeſertim ex duodeni anguſtia. Id vero generalius indicatur; ſed adeo multiplex eſt forma et ſedes morbi, b) vt, quam revera ſedem occupet? cuius indolis ſit? in his ſemper fere ambiguum haereat iudicium. Num forte in ipſo ventriculo? et in quanam eius parte? an in duodeno potius? vel hepate, liene, omento? Vix vlla enim in abdomine exiſtit latebra, quae infenſum ventriculo hoſtem non olim occultauerit. Num porro tumores ſcirrhoſi, verrucoſi (MORGAGN. l. c.) cyſtici in culpa ſunt? Num membranarum natura in cartilagineam, oſſeam, lapideam mutata? num infarctus vaſorum vel et glandularum? num exulcerationes, an tantum conſtrictiones partium? Verum eſt, nonnunquam cardialgiae vomituumque cauſſas ſedula ſignorum comparatione ſat facile

 ac

a) Med. rat. ſyſt. T. IV. Part. I. p. 525. conf. MORGAGNI de cauſſ. ac ſed. morb. T. III. epiſt. 29. n. 16.

b) V. RICHTER et KOELER diſſ. de cardialgia. Goetting. 1750.

ac tuto erui posse. Saepius tamen symptomatum conuenientia medentis sagacitatem fraudant: ipsa forte indole sua, siquidem id medico solamini esse potest, quouis remedio insuperabiles futurae, licet exploratissimae. At, quam difficulter interdum talis sphingis aenigmata dissoluantur, testis est Anatomia, quae ideo, cum prudentissimas praedictiones non semel refutaverit, vel ipsa harum fidem quodammodo videtur diminuere. Diram cardialgiam ab arthritide, viscera petente, ortam, (id quod nouisse, medico forte sufficit;) quis putet, illaeso ventriculo, necare hominem posse? Ecce vero, dum cultro viscera explorantur, neque in ventriculo, neque in renibus, summum cruciatum passis, vllum detegitur mali vestigium; intestina contra, quae nullo nisi ponderis quodam sensu affecta fuerant, a ianitore vsque ad anum inflammatio perdidit. Haec enim paralysi, illos autem doloribus ob consensum laborasse, iure arbitratur MORGAGNI. c) Consensu quoque, dum hepar et reliqua viscera adiacentia abscessibus aliisue vitiis correpta sunt, vel calculis distenta bilis receptacula, particeps malorum esse solet

c) epist. 29. no. 7. p. m. 24.

ſolet ventriculus et dolores vomitusque pati. Sed absque huius incommodo illa interdum exſtitere. d) Immo vero non deſunt exempla ipſius ventriculi, foedo vlcere vel alia calamitate offenſi, neque omnino tamen ſueto more laborantis. Vir quidam ſummos dolores perpeſſus erat, nullum vero, quantum ex morbi hiſtoria patet, vomitum, niſi decem vltimis diebus vitae. In cadauere reperiebatur teterrimus abſceſſus fungoſus, ab ore ventriculi laeuorſum per totam eius partem gibberam exporrectus. Ipſe aegrotus iecinori culpam ſemper tribuerat. e) Ex craſſitie cartilaginea pylori natum vomitum lethalem vidit Cel. STÖRCK f), ſed doloris expertem. Femina ventriculi doloribus intra viginti quatuor horas interemta, illum habuit ſemiplenum pluribus, ac variis eroſionibus exulceratum, recentibus quidem, vt videbatur, ſed iam gangraenoſis, oeſophagum ſimili modo vitiatum; nihil tamen vomi-

 tu

d) LESKE *auserleſne Abhandl. aus den Phil. Transact.* I. Th. p. 105. II. Th. p. 53.

e) SAND diſſ. de raro ventric. abſceſſu. V. HALLER coll. diſp. T. III. p. 125.

f) ann. Med. I. p. 154.

tu reiecerat. g) Alius cancrofum exulceratum habuit idem vifcus, multos etiam vomitus, at dolores fere nullos. h) Magnae conftrictiones ventriculi atque inteftinorum repertae funt in multis, qui vomitibus non fuerant obnoxii, immo recte valuerant. i) Patet igitur, quam fit adeo fignorum, quae tutiffima habentur, dubia nonnunquam fides. Medicus interim recte fuo fungitur officio, qui, quam normam exacta deliberatio fuaferit, eam, quamuis etiam dubius, fequitur.

Sed in cafu illo, ad quem haec commentatio pertinet, quae mihi iure accufanda effet facinorofa cauffa, initio praefertim dubitabam: quamquam et hic factum eft, quod in diuturnis morbis faepe contingit, vt, quo diutius obferuarem, eo magis opinio emendaretur. Primo quidem ventriculi laxitatem atque acidam colluuiem, gemellam iftam prauae diaetae prolem vnice fufpicabar; deinde quoque bilis inertiam, quin aliquam hepatis obftructionem. Procedente autem morbo maximam partem in-

fons

g) MORGAGN. epift. 29. no. 20.

h) epift. 30. n. 2. 3.

i) epift. 30. n. 8. 9.

fons mihi videbatur hoc vifcus; certe enim obdurati tumoris, exulcerationis, calculorum vel alius vitii grauioris veriora figna deficere intelligebam. Nimirum illa fede nullus erat tumor vel dolor, nullus ponderis fenfus, nec manifefta durities, nullibi quoque icteri veftigium, nec fapor amarus, nec lotium bile tinctum. Alui obftructio ex nutrimenti defectu, fpafmo ductuum biliferorum, ficcitate inteftinorum, humoribus nempe aliunde confluentibus, explicari poterat. Quae femel reclufa, per reliquum crefcentis morbi decurfum fponte plerumque fecibus fe exonerauit, et rite tinctis quidem et fat copiofis. Nec porro lienis aliusue vifceris labes indicabatur; pancreatis autem vitia, quibus fignis dignofci queant, equidem nefcio. Nulla etiam vermium fufpicio incidere poterat. In ipfo igitur ventriculo vel duodeno morbi cauffam refidere, eamque lente agentem, omnia innuebant. Qualis vero? et in quanam horum parte? Recte quidem LOMMIVS: l) *affiduum vomitum vitiare ventriculum, et, inducta imbecillitate, velut lacunam proluuiei vniuerfi corporis facere.* Et fane imbecillum effe

 opor-

l) Obferuat. medicinal. p. 148.

oportuit, qui tot cruda, pituitoſa, acida, ructus gigneret. Saeuior tamen, quam vt totum ſola debilitas effeciſſet, morbus videbatur. Equidem in eodem diſcrimine haerebam, quo haeſit olim Cl. TRALLES m) in caſu valde ſimili: an nempe vomitus eſſet cauſſa ſuppreſſorum menſium? an menſes ſuppreſſi vomituum? Hoc ill. VAN SWIETEN, illud vero ipſe, et rectius quidem, opinor, arbitrabatur. Aegrota enim *omni tempore perinde, neque certis periodis grauius aut remiſſius et vix vnquam vomebat, niſi aliquid ciborum vel potulentorum adſumſiſſet.* Id quod in mea quoque obtinuit, quae praeterea cardialgiis dudum, cum adhuc virgo eſſet, ſubinde laborauerat, ſine menſium defectu. Supprimi autem menſes poſſe multis largisque vomitionibus, rationi quoque conſentaneum eſt. Corpus enim nutrimento ſpoliatur; lentore inficitur ſanguis, et turbato circulo ad ventriculum et viſcera, huic propius nexa, redundans, vterum linquit, cuius vaſa etiam, propagato ſpaſmo forte ſtringuntur. Initio quidem, quoad humorum inopia et lentor nondum vetet, eo nitendum eſt, vt reſtituatur haec ſan-

m) Vſus opii. Sect. III. p. 92.

ſanguini via; quod potiſſimum enematibus, fomentis, calidisque admiſſis vaporibus tentetur, quippe ad ipſum vomitum proficuis. Atqui in hoc rerum ſtatu raro votis potiemur, interimque retentus ſanguis ventriculi labores augebit. Qui quidem grauiditate praecluſus dormientem ventriculi hoſtem primo forſan excitauerat.

Os ventriculi ſuperius ſuo ſaltem vitio non laborare, minime impedita deglutio teſtabatur. Intermediae quoque partes, ſiquidem, vt credere fas eſt, multa irritatione, maceratione, conuulſione erant violatae, abſolui tamen videbantur ſuſpicione abſceſſus: neque enim expulſa vomitu materia tale quid ſapore vel colore indicabat, neque ex perfectiori interuallorum tranquillitate concludi illud poterat. Cum autem vomitus ſemper ingeſta ſequeretur, nullo modo pacandus, niſi reiectis omnibus, cum ructus etiam cum dolore emitterentur, ſicca denique tabes accederet, vitam finiens: ſane ex ſententia ſummorum medicorum (vt VOGELII, HOFFMANNI, KLEINII cet.) ſectionibus cadauerum multoties confirmata, obſtaculum quoddam circa pylorum et hic ſuſpicari debe-

debebam. Nec prorſum tamen obturatam fuiſſe communem hanc ventriculi ac duodeni portam, iterum ſymptomata docent. Etenim, prope iam imminente fato, et multa biliofa vomuit, et per aluum cruda reddidit deglutita. Vlterius id, ni fallor, comprobatur etiam eo, quod nocturno vomitu, quae forte prandio ſumſerat, plerumque extruderentur prius, quam proxime ingeſta. Scilicet, morbo nondum inveterato, praeſertim noctu et mane ſolebat vomere; de die quidem rarius, atque etiam moderatius. Licet enim prandium quoque ſueta exciperent ſymptomata, tamen, quoniam clementius vexabant, coërceri ſaepe poterat vomitus. Poſt coenam vero orti dolores, a paruo initio ad ſummum furorem paullatim ingraueſcentes, circa mediam noctem copioſiſſimas vomitiones excitabant. Interim enim ſpurca humorum colluuies in ventriculo et duodeno collecta erat, deinceps forte augenda ſub ipſo vomitu, qui ex relaxatis horum viſcerum vaſis lymphaticis glandulisque multum pituitae exprimeret; olim ingeſtorum ianitor aliquid transmiſerat in duodenum, quorum ibi per moram aucta mordacitate nimis denique irrita-

tum

tum ac diſtentum illud receptaculum, ab inferioribus incipiente ſpaſmo, contenta ſua ad pylorum, lente cedentem, vehementer vrgebat; donec, ſuperato renixu, ſuperfunderentur quisquiliis, in fundo ventriculi haerentibus, tunc proximo vomitu eiicienda. Intelligi inde poſſunt continui illi ac lacerantes dolores circa ſpinam dorſalem. Atque haec opinio conſentanea eſt illis, quae Semiotice praecipit. *Bruneus et copioſus vomitus*, verba ſunt doctiſſ. *Gruneri* n) *indicat inteſtinum duodenum infirmatum et ſordibus refertiſſimum itemque debilitatem viſcerum.*

Nonnulla hic morbus cum illo habuit communia, quem ſub nomine infarctus vaſorum ventriculi docte deſcripſit IOAN. KAEMPFF. o) vt ad eius naturam quodammodo videatur acceſſiſſe. Immo ſane vaſa ventriculi, toties attrita doloribus, tot conuulſiuis motibus labefactata, neſcio, quomodo illaeſa manere, et lubricam humoribus viam ſeruare potuiſſent. Interim

n) Semiotice p. 324. conf. KLEIN interpr. cl. p. 318.

o) diſſ de infarctu vaſ. ventr. in HALLERI coll. diſp. med. T. III. p. 106. §. 9. 10.

terim vero non eiusdem generis fuiſſe, docet vlterior comparatio. Hic enim, ne plura moveam, perquam manifeſta erat acida liquorum degeneratio, quam quidem in illo morbo vix non ſemper deficere, ex laudato auctore diſcimus. Hinc, propter virtutem acido contrariam et ſtimulos mitigantem, lubentiori hoſpitio medicamina, prae quibuslibet alimentis, excipiebantur; quin et, excitata ſpe melioris fati, implacabilem morbi cauſſam, ipſa ſolida occupantem, toto menſe coërcebant eo, quod acidum extinguerent ad tempus, et per reſeratam aluum corpore exterminarent.

Lac vero, quam in hoc caſu praepoſtere ſit propinatum, monere vix opus eſt. Saepe quidem in cardialgicis affectionibus, praeſertim a retroacta materie podagrica natis, lac, vel potius lacteam diaetam cum WERLHOFIO, aliisque commendare, fas erit; ſed primis viis nullo ſordium genere, minime acido fermento, conſpurcatis. Quo cum in noſtra maxime infectae eſſent, haud nocere lac non potuit; immo ipſa molliente et antiſpaſtica virtute, qua initio quicquam profuerat, deinceps morbi genium exaſperauit.

Empla-

Emplaſtrum hyoſciami, efficax illud et princeps fere paregoricum, in ſpaſticis ventriculi doloribus multum, nec nimis tarde, profuiſſe aliquoties vidi. An vero non mitigare tantum, ſed adeo, incantamenti inſtar, crudeliſſimos dolores demere potuerit, eſt profecto, quod dubitemus. Inuicta nimirum cauſſa dolorum, cuius effectum moderaret, nec vſu quidem ſemper continuato, quomodo potuit? Sed iam tum ſphacelo correptas fuiſſe partes, quo ſenſum amiſerint, magis etiam repugnat; cum vita ſane, viſcere quodam mortuo vltra menſem ſuperſtes eſſe nequeat, nec vomitus perſeuerare debuiſſet. Illa igitur doloris abolitio, quamvis laudem ſuam hyoſciamo detrahere nolim, praecipue ipſius cerebri inertiae videtur tribuenda eſſe. Tunc enim, diuturno ac graui morbo pene exhauſtis neruorum viribus, caput temulentia quadam affici, totaque natura labaſcere coepit. Interim vero ſedem ſuam paullatim deſtruere perrexit malum. An forte his locis nata demum eſt exulceratio? an arroſa hepatis concaua ſuperficies, vel et veſicula fellea? Appropinquante enim morte vix amplius acida, ſed bilioſa, poſtremo autem foetidiſſimum liquorem vomuit.

IV. Tu-

IV.

Tumor linguae ex vſu Mercurii.

Virgo, proximum a trigeſimo annum agens, initio Iulii praecedentis anni ex improuiſo magnum linguae tumorem contrahebat, cuius veram indolem, fateor, me primo non cognitam perſpectamque habuiſſe. Neque omnino poteram. Diſſito enim loco degentis aegrotae morbus ad me perſcribebatur modo, ſatis exacte quidem, adhibitaque Chirurgi cuiusdam prudentis inſtructione, ita tamen, vt locus maneret quaeſtionibus. Deinde vero, cum virginem alias valde prouidam, atque a multis multorum conſiliis alienam eſſe ſcirem, ne cogitatio quidem ipſius cauſſae mentem ſubibat. A teneris vsque puella infirmam habuit naturam, licet corporis, bona vitae ratione ſeruandi ſtudioſiſſima. In primis delicatior ipſi eſt et durioris cibi impatiens ventriculus; pectus quoque crebriori tuſſi, facili de cauſſa obnoxium; humores vero ſcorbuticis impuritatibus ſcaturire videntur. His quidem potiſſimum deberi credam dentium dolores, valde importunos, quibus ſaepiſſime laborauit; laxioribus ſimul gin-

gingiuis, atque interdum cruorem ſtillantibus; et guttam roſaceam, cruſtis lente deciduis horridam, dextramque genam praecipue, ſubinde cum tumore, occupantem: quo latere ſimul nares obſtructae eſſe ſolent. Quibus accedit etiam lippitudo, tantum non ſemper moleſta. Quanquam poteſt harum affectionum etiam aliunde peti ratio. Aliquot abhinc annis, magno ſuo moerore, fortuito animaduertit, fouere ſe in inteſtinis ſuis taeniam, ex vermium genere facile peſſimum. Quem hoſtem potius, quam hoſpitem, variis licet armis, ſtanno etiam, impugnatum, domicilio tamen necdum expellere potuimus. At mercurialia, etiamſi nullus de ipſorum ſtrenua contra taeniam virtute dubitarem, nunquam a me impetraſſet puella, eiusmodi obnoxia incommodis. Atque in genere praeſtare viſum eſt, tolerare vermem, quam, vt hic extruderetur, peius forte damnum inferre imbecillo corpori. Sed forte eo venit extraneus quidam, isque pharmacopola, quod non laudis cauſſa memoro; is illud audiens, ductus, credo, officioſitate, (quae vero, cum imprudenti conſilio nocere multum poſſit, parum a peccato differt;) mittit electuarium,

 cuius

cuius vim, taeniam pellendi, ſcilicet in plurimis ſine exceptione ſibi expertam, laudibus extollit aeque ſuperbis vanisque, ac quibus quotidie cuiusuis tituli venena in nouellis commendari ſolent. Examine inſtituto, conſtare in primis patuit ex ſemine cinae et mercurio viuo, cuius pauca modo grana ex vncia electuarii, affuſa aqua, praecipitabantur. Sed, quid opus erat pluribus, cum minime conueniret? Praeterea hoc electuarium, non obſtante mora, qua ſpiſſari debuit, tam erat tenue, vt graue illud fluidum aequaliter diſperſum tenere non potuerit, cuius adeo globuli paſſim lateribus, quin externo fictilis margini adhaerebant, nudis oculis conſpicui. Peſſimum autem fuit, puellam, quod tetro verme liberari exoptaret, nec multum diffideret ſemimedici prudentiae, votis ſuis non minus, quam audaci largitoris ſponſione captam, mane et veſperi duo cochlearia minora electuarii deuoraſſe, et cum nullis inſtructa eſſet, nullas omnino obſervaſſe cauendi regulas. Pilulas quoque dederat, extractum panchym. Cr. vt videbatur, vel aliud aloëticum continentes, quarum portionem ſexto quouis die ſumeret. Eo vsque autem non perven-

ventum eſt. Quater enim, vel quinquies ſumto electuario, dum, loturae negotiis occupata, refrigerationi corpus expoſuerat, veſperi (d. 5. Iul.) odontalgia, noctu etiam gingiuarum et dextrae genae dolore ac tumore affligitur. Quae tamen haud inſueto ſibi more contingere rata parum adhuc curat. Accedit deinde multus ex ore foetor et (d. 7.) haemorrhagia narium: ſequenti vero nocte lingua valde tumet, vix ore continenda, et cortice albo obducitur denſoque, aphtharum inſtar. Genas quoque intus obſident puſtulae vlceratae, quin vbique os faucium apparet, maximo deglutiendi et loquendi et aliquo reſpirandi incommodo. Suo ipſius arbitrio Chirurgus Vſnem adminiſtrat, minus bene quidem, promota ſic diſſolutione ſanguinis, qui tamen corio tectus eſt, nec ſero caret. Pulſus interim mollis eſt, febris modo exigua, ſed aluus iam aliquot dies obſtructa. Recrudeſcit etiam nuchae dolor, quo alioquin vexata fuit.

Haec ad me perſcribebantur, vt conſiliis adeſſem. Mihi quidem, morbum ſubito natum atque inſolentem cum VOGELII *gloſſitide* a)

 com-

a) de cognoſc. ac cur. praec. c. h. affect. p. 130.

comparanti, ſatis exacte huius faciem referre viſus eſſet, niſi, abeſſe inflammationem, ex febre mitiori concludendum fuiſſet. Sed tumorem, qualem et ille ibi memorat, ab affluxu humorum vitioſorum, forte ſcorbuticae indolis, excitatum eſſe, credidi. Quos vt aliorſum deriuarem, praeſcripſi infus. lax. Vienn. cum ſale Seign. ori autem colluendo decoct. ſem. lini fl. cham. hb. melilot. et croci. Interim Chirurgus, copioſo ſaliuae profluuio, cuius nondum mentio facta erat, monitus, ſuſpicionem mouet, electuarii, de quo familiares et ipſa aegrota ne quidem cogitauerant, haec eſſe facinora. Magnam foetidiſſimae pituitae copiam euacuauit purgans, et ſaliuationem nonnihil minuit. Manſit autem intolerabilis fauciarum partium ardor, quem emulſio camphorata, ore detenta, paullulum mitigauit. In lingua etiam fuſcae maculae apparuerunt, gangraenae metum incutientes. Continuare igitur iuſſa eſt (d. 14.) infuſ. laxat. ſine ſale, verſus noctem vero aliquoties ſumere emulſionem, cui aliquot grana camphorae et Syr. diacod. additi erant. Pro potu ordinario commendaui decoctum rad. ſarſaparill. gram. et glycirrh. quarum mucilagine

gine dilueretur humorum acrimonia. Vulnera oris liquam. myrrh. et melle rofar. illita funt. Per noctes nunc multum fudauit, mane febris augeri, os vero, aëri femper patens, prae ficcitate vehementius dolere folitum eft. Lotium reddidit valde rubrum, dein obductum cuticula liuida. Interim appetitus per totum fere morbi decurfum fuperftes fuit, eoque calamitofior deglutiendi impotentia. Viribus ergo dolore, vigiliis, inedia, febre multum iam attritis, nocte inter XVtum et XVItum fomno paullo largiori refecta eft, multum quoque tumor remiferat, at inferior linguae pars, glandulis vafisque pleniffima et gena interna vulnere fuo plurimum doluere. Denique etiam (d. 16.) in tanta fanguinis attenuatione, prauorumque fuccorum abundantia, cutis vbique, praefertim in pectore, femoribus et infimo dorfo confperfa eft exanthematibus, inftar purpurae, vrgente etiamnum fpiffioris faliuae affluxu et parum emendata deglutitione. Die decimo quinto morbi, (d. 20.) repetito purgante mannato, denuo plurimum foetentis pituitae aluo eduximus, eodemque die vrinam minxit nigricantis vel cineritii coloris, fimile fedimentum copiofe demittentem.

tentem. Qui quidem color poſt aliquot dies euanuit, vt modo rubra et valde craſſa eſſet, modo naturali ſimilior.

Iam vltra vero differre Cort. Peruv. vſum, vere putrida morbi indoles diſſuadere viſa eſt. De hac enim, qui dubitare poteram? ſiue ad cauſſam producentem ſiue ad ipſa ſymptomata reſpicerem. Reſolutum ſanguinem cuncta indicabant; tam exigua quantitate ſane non tantos effectus edidiſſet mercurius, niſi ſanguine iamiam corrupto, atque acribus ſuccis ad maxillas ante iam confluere ſolitis; primae viae, ſiquidem putida iſta recrementa non cuncta fuerant ſanguinis, ſatis tamen purgatae erant: humores vero penitus emendari, febrem tolli, reſtitui vires corpori poſſe euacuantibus, putabit nemo. Propinaui itaque (d. 21.) Cortic. Peruv. cum cort. Winterano et rad. altheae ad ſaturitatem decoctum; os autem colluere iuſſi decocto plantag. agrimon. et geran. Rob. Atque haec optime votis reſpondere. Febris enim cum exanthematibus mox ceſſauit; in dies decreuit ſaliuae copia; corruptas humorum particulas lotium eluere continuauit; verbo, priſtina, ſed paullatim, rediit ſanitas. Fieri tamen

non

non potuit, quin remanente ventriculi, tot purgantibus vexati, ac totius corporis imbecillitate, qua et genua vacillabant, paullo diutius afficeretur. Tandem vero elect. Cort. Per. c. conseruis nasturt. aquat. et cochl. deinde vero puluis cachect. quercet. cum rad. gent. rubr. et cort. aurant. omnino robur restituerunt. At, quae genas foedare sueuerat, gutta rosacea mox deterior etiam rediit; id quod mihi saltem minime fuit inexspectatum: saliuatione enim mercuriali humores non fore emendatos, facile diuinaueram.

V.

Febris tertiana complicata aliquoties recidiua.

Quam vario modo vermes corpus infestare, quot insuetis symptomatibus vulgarium febrium vim intendere, turbare indolem valeant, id dicere hic non opus est, cum a nemine ignoretur. Neque adeo manifestam semper esse effectuum suorum rationem, qua vel

tuto cognoſcatur vermium praeſentia et genus, vel omnino medici ſubterfugere illi nequeant ſagacitatem, haud monendi ſunt, qui artem exercent. Licebit autem, exemplum hic proponere tertianae, per ſe quidem regularis, ſed taeniae clandeſtinis inſidiis exaſperatae, atque his ipſis, ni fallor, aliquoties reuocatae. Optima matrona, quinquageſimum ſecundum aetatis annum agens, habitu corporis, neque admodum robuſto, neque etiam imbecillo, ſatis tamen irritabili praedita, et mente, alias quidem hilari, ſed durioribus aerumnis diu multumque afflicta, aliquot retro decenniis malo hyſterico haud mediocriter laborauerat, deinceps autem, atque in hunc vsque diem arthritide vaga, variisque haemorrhoidum moliminibus; tumido ſemper abdomine et pinguedinem mentiente. Haec d. 21mo Februarii, Anno ſaeculi LXXVI. ipſo meridie corripiebatur paroxyſmo febrili, multa potius cephalalgia et tenſione ſpaſtica dorſi importuno, quam frigore aut aeſtu. Veſperi circa horam octauam remittebat paullatim, nullo inſequente ſudore, ſed tranquillo ſomno. Altero die vrina valde rubra erat, cum ſedimento copioſo, lingua pituitoſis

tuitofis fordibus pleniffima. Sequenti paroxysmo, cetera quidem mitiori, fpafmis pedum in primis vexabatur. Tertius, vt folet, aegrotam exercebat vehementius, multo eam relinquens debiliorem et modico fudore madidam: noctem vero infomniis turbulentam tranfigebat. Cum autem fequentibus paroxysmis, praeter ardorem vehementem vrinamque fere cruentam, deliria quoque accederent haud tranquilla; grauiorem aliquam horum cauffam vel et infuetam in primis viis latere iudicaui, vermes quoque fufpicatus, minime vero taeniam. Paroxysmi reditum accelerabant, vt feptimus hora feptima matutina iam (d. IV. Mart.) ingrueret. Deliria non ceffabant, nifi cum ipfo aeftu et incipiente fudore. Huc vsque diebus vacuis falia digeftiua cum cremore tartari, aeftuante febre iulapium cum nitro, tinct. fl. bell. vitriolata, Syr. acetofellae et rub. id: quinto demum Martii electuar. Cort. Peruv. c. terra fol. tart. dedi. Die fequenti febre quidem vacabat manifefta, multam tamen hoc et proximo intercalari aegritudinem fentiebat, aeftumque ventriculi et oris tantum, vt labia ariditate finderentur, ego autem, an fatis, quamuis etiam

 faepe,

ſaepe, purgatae eſſent primae viae? conueniretque iamiam cortex? haererem dubius. Die VIIIuo Mart. mane taeniae portio aluo excernebatur, cubiti circiter longitudinem aequans, atque ſinguli aliquot articuli, pridie iam excreti, inueniebantur. Erat autem, quantum detegere potui, taenia capitata, oſculis ab altero latere ſolitariis, ſtriis longitudinalibus, articulis tamen non adeo breuibus. Interim, cum febris ſua ſymptomatumque ſuorum vehementia, nimium attenuaret vires, corticem Peruv. ita continuandum eſſe duxi, vt cuiuis drachmae dimidiae, ſemel ſumendae, admixta eſſent rhabarb. et ſalis ammon. depurati grana V. Appetitus inde nonnihil emendatus. Sed die IXno Mart. quo omnino abeſſe debebat febris, duobus ante meridiem horis, vnguium liuor, rigorque digitorum febriles motus indicabant, et interna quaedam exaeſtuatio ſequebatur. Electuario cort. Peruv. addidi ſemen ſantonici, quo etiam lumbrici aliquot expulſi ſunt. Interim, viribus quidem nonnihil refocillatis, denuo increbeſcebant febris molimina; frequenter enim, absque certa dierum horarumve ratione, oriebantur horripilationes, calores fugitiui, nauſea, dolores quoque hypochondriorum

rum et ſpinae dorſalis, praeſertim inter ſcapulas, vrina ſimul rubente. Dedi itaque d. 29. Mart. purgans, cochleatim ſumendum, quod exturbandis ſordibus pituitoſis apprime aptum pluries inueni, infuſ. lax. Mann. Vnc. V. ſal. mir. Gl. Vnc. ſem. ſulph. aur. ant. 3ae praecip. grana IV. Syr. roſar. ſol. Vnc. ſemis; et ſane ingens copia pituitae tenacioris hoc remedio euacuata eſt. Quamuis vero morbi incommoda multum eo mitigarentur, tamen pulſus, ſemper iuſto celerior, atque aeſtus volatici clandeſtinam febrem arguebant, quam, cum ciborum appetitus creſceret, ſomnus optimus, vrina vero mane naturali ſimilis, de die pauca et ſaepe aquoſa eſſet, hyſtericae potius, quam hecticae indolis eſſe et a verme motam arbitratus ſum. Hic ergo, quod eiusmodi febribus melius ſaepe cortice Peruv. medetur, lignum Quaſſiae multum auxilii pollicebatur. Sed medio Aprili minationes ſuas ſeuerius iterauit febris: ante meridiem enim continuus frigoris in dextro pede ſenſus; vrina tunc parca et limoſa; ſubinde etiam excreti taeniae articuli viuentes, qui, aqua tepida imbuti, diametrum longitudinis modo diminuendo modo exporrigendo, impigre loco ſe mouere, exporrecti autem ad primae phalangis digitorum magnitudinem accedere ſolebant. Demum d. 25. Apr. prae-

praeuium ingentem ex infomnio terrorem genuinus paroxyfmus fequebatur. Dedi itaque, praemiffo laxante, quo et multi vermis articuli et pituitae magna copia euacuabantur, pulueres e Cort. Peruv. lign. Quaff. fale Ammon. et fulph. ant. aur. compofitos; deinde autem, cum fal. ammon. pectori aduerfum effet, afae foet. grana duo, vitrioli Mart. fact. vnum cuique dofi pulueris adieci. Quae, mitigata quidem, immo extincta febre, ad pellendum vermem vix quicquam praeftitere. Vt pellerem tamen, ftannum methodo Meadii adhibere cum animo meo iamiam ftatuens, accipio litteras, a cel. THEDEN, amiciffimo mihi viro, ad me datas, quibus eiusdem remedii vfum magnopere commendat, hoc modo inftituendum: Limaturae ftanni grana decem cum rad. valer. mai. drachma femis mixta vnam pulueris dofin conftituant, cuiusmodi tres primis quatuor diebus, totidem fequentibus quatuor, fummatim viginti octo devoret aeger; tunc vero fumat puluerem purgantem e rad. ialapp. refinof. fcrup. II. fal. abfinth. citr. gran. VI. olei deftill. aneth. gutt. II. fuperbibendo, quam primum purgare coeperit, gelidae aquae liberalem copiam. Atque hoc, experientiffimo viro probatum remedium, cetera, quae tentaueram, vt par erat, efficacia multum

multum ſuperabat, licet fortuito, opinor, impeditum, totum non expelleret. Stanni et valerianae vſus nihil fere turbarum ciebat in corpore, neque adeo multos taeniae articulos extrudebat, ſumto vero purgante illo, praeter triginta tres articulos, ſparſim in vaſe ſuppoſito repertos ſtatim foras detrudebatur, inteſtinoque pendebat filum, bis habens cubiti longitudinem, quod vero, quin demum abrumperetur, caueri non poterat. Regredi autem prohibita erat taenia fruſtulo ligneo annexo, cuius exiguo pondere blande deorſum trahebatur. Verum nec reticere fas eſt, aegrotam, ne ventriculum nimis offenderet, veritam loco gelidae copiam infuſi theae et decocti auenacei ſuperbibiſſe ſicque magno ſane fraudatam eſſe momento curationis; quam ergo paucorum dierum interuallo repetendam eſſe duxi. Notato numero articulorum, quorum circiter quinquaginta cubiti menſuram habebant, iam nunc taeniae portio octies maior a corpore erat relegata, ex quo primum ſe prodiderat. At, d. 29. Maii iterum reuertebatur febris, ipſa forte purgatione inuitata. Interim puluerem ſtanni et valerianae, abſente paroxyſmo, ſedulo continuare iubebatur aegrota, et Imo Iunii ſumſit purgans, ſupra dictum, ſed granis X ialapp. fortius, affatim

tim

tim hausta subinde frigida. Prima sede confestim prodibat filum, duos pedes longitudine superans; sed post septem horas, quibus immota fere, ad virium vsque defectum, aegrota sederat, sponte abrumpebatur. Proximam igitur profligandae febri operam reddidi; qua superata, tertio vsus stanni repetitus, loco ialappae autem per tres dies continuos mane datus est scrupulus dimidius gum. guttae, cum sacchari albi scrupulo contritus. Id quidem validissime euacuauit. Sed primo die tantum expulsa est taeniae particula, spithamam longa, cuius articuli, paullatim decrescentes, minimi fiebant, nullo autem filo aut capitulo terminabantur. Remanentem inde summam totius corporis debilitatem, vertiginem, febrem analeptica et decoct. Cort. Peruv. breui tempore sustulerunt; denique autem limatura Mart. cum radicibus ari et scillae praep. robur intestinis restituendo, nouamque pituitae generationem impediendo, saltem id effecit, vt per totum semestre et vltra, insueta sanitate frueretur, atque, abdominis mole plurimum diminuta, ipsa vermis forte residui suspicio fere euanesceret, cuius tamen stirpem non plane deletam, vel alium generatum esse, posthaec apparuit.

Sylloge

SYLLOGE
EPISTOLARVM
PAVLLI GOTTLIEB WERLHOFII
SELECTIORA QVAEDAM CONSILIA
CONTINENTIVM.

I.

Haemorrhoides per veficam.

Hiftoria morbi.

Vir feptuaginta annorum, temperamenti fanguineo—cholerici, habitus corporis inter ftrictum et fpongiofum medii lautiori diaetae deditus, iuuenili aetate rebus Veneris, quantum conftat, haud abftinentiffimus, gonorrhoea tamen fe vnquam adfectum fuiffe, negans, anno aetatis XXIV. ab equitatione frequenti atque fortiori herniam fcrotalem, (cuius cauffa perpetuo fubligaculum gerit) contrahens, XXXIIItio connubia coniungens, ante XX et quod excurrit, annos haemorrhoidalem fluxum, minus irregularem, fed tandem fponte ceffantem, expertus, fex circiter abhinc annis mictum cruentum, nullis doloribus ftipatum, incidit. Ceffit quidem hoc malum medentium arti, verum rebelle fuit, et aliquoties recurrens, interdum fat diu, immo per integrum femeftre durauit. Varii in confilium vocati funt medici,

 quorum

quorum plerique dyſcraſiam ſupponentes ſcorbuticam, antiſcorbuticis malo obuiam ire medicamentis tentarunt. Superiori anno Dn. Patiens iterum mictu cruento, tranſitorio quidem, ſed ex leuiori animi corporiſue motu saepius recurrente infeſtatus, menſe Maio Medicum, quem iam ordinarium habet, conſulit. Vrina tum temporis plerumque ſat copioſe absque difficultate redditur, floridum rubicundum colorem conſpectui offerens, linteaque rubore tingens; interiecto vero temporis ſpatio, ſenſim rubicundo ſedimento depoſito clarior ſuperſtans. Licet ſubinde ſtranguria leuior, ſeu vrinae ardor iungeretur, nullus tamen in lumborum iliorumque regione ſentitur dolor, nullus ponderis in perinaeo ſenſus; aeger nunquam vrinam arenoſam, ſabulum calculosque paruulos ſeſe excernere meminit, neque vlla alia calculi renum vel veſicae adſunt, vel adfuere indicia. Medicus VSnem in paroxyſmo mictionis cruentae inſtituendam diſſuadens, conſuetas tamen aequinoctiales ſanguinis miſſiones haud omittendas exiſtimans, diaetam conuenientem, in primis abſtinentiam a cibis crudis, flatulentis, per acida vel aromata conditis,

tis, potulentis ſpirituoſis, motuque corporis concuſſorio cet. iniungit, ſimulque infuſum theiforme ex rad. cichor. glycirrh. hb. heder. terreſtr. agrimon. fl. bellid. millefol. cet. item elixir temperatum, quale eſt HOFFMANNIANVM, cum eiusdem liquore anod. m., nec non pulueres nitroſo-temperantes, interpoſito vſu rhei, cum decoct. tamarind. praeſcribit. Ex quorum remediorum vſu inſigniter miteſcente adfectu, quum per vices aeger adhuc de vrinae ardore, nec non de flatulentia conquereretur, mixt. tonic. Stahl. c. eſſ. Cort. Aurant. remixtam, atque pulueres dictos nitroſos cum G maſtiche maritatos, medicus exhibet; aegrotusque ſat commode habere incipit. At menſe Iulio, quum calor aeſtiuus intenſior vrgeret, accedente ſine dubio animi tacita excandeſcentia, vel corporis motu, alioue diaetae errore malum vehementius fere recrudeſcit, cui aeger, inſcio medico, VSne in brachio inſtituta, occurrere tentans; nullo vero leuamine exinde recreatus, medicum ordinarium arceſſit, qui quidem tum ad compeſcendas ſanguinis ebullitiones, aegroto potiſſimum moleſtas, tum ad moderandam mictionem cruentam pulueres

 tempe-

temperantes cum ſpec. de hyacinth. commixtos, çum emulſ. ex amygd. dulc. et ſem. papav. paratis in vſum vocat, vſumque rhei in formam pulueris cum crem. tart. redacti ſubiungit. Qua medendi methodo aegroto egregie ſubleuato, quum adhuc ſubinde vrinae ardor reſtaret, moderatum vſum balſam. Pect. Schap. cum oleo amygd. dulc. et Syr. de alth. F. coniuncti, atque potionem ex aquis deſt. Syr. papav. alb. puluereque temperante concinnatum, iuncto ob prim. viar. flatulentiam vſu mixturae ex eſſ. C. Aurant. carm. Wedeb. liqu. anod. cet. commendat. Atque tali ratione tractatus aeger ſat diu bene tempus degit, et licet ſubinde internus volaticus aeſtus, ſomnum quoque nocturno tempore turbans, cui aeger diutiſſime iam fuit obnoxius cum vrinae ardore recurreret, ipſemet ſibi ſumtis dilutioris decocti radic. petroſel. rec. cum aqua ſimplici parati aliquot vaſculis, quibus ad ſorbillandum potum thee vtimur, conſulere ſtuduit, non ſine laudando, vt affirmat, leuamine. Die vero Xmo ſuperioris Menſis veſpertinis horis medicum iterum arceſſit, per aliquot iam dies tuſſi atque febri catarrhali cum mictione cruenta, frequenti ad mingendum ſtimulo,

mulo, inſigni ardoris in vrethra, durante mictione, ſenſu vexatus. Pulſus eſt frequens ac celer: ſomnus crebra mictione turbatus. Praeſcribitur potio ex aqua foen. fil. abſorb. citr. nitro, antimon. diaph. Syr. alth. F. poſteroque die ob aluum clauſam et flatulentiam infeſtantem enema, quod bene fecit, iniicitur. Quum vero moleſta tuſſis continuaret, in vſum etiam vocatur elix. pect. reg. Dan. cum eſſ. Pimpin. caſcarill. iuncta potione dicta, itemque emulſione. Alui vero ſegnitie omnia iterum ſymptomata exaſperante, clyſterisque vſum renuente aegroto, ſerum tamarindinat. commendatur, quod die XVIto Febr. ſumtum, initio flatulentiam augere videtur, circa veſperam vero aluum aliquoties cum leuamine relaxans, diarrhoeam per aliquot dies durantem, lenem tamen neque aegroto moleſtam, relinquit. Tuſſis interim cum febre catarrhali penitus fere remittit: vexat vero praeſertim nocturno tempore ſomnumque interrumpit frequens mingendi ſtimulus, cum multis doloribus in vrethra inter mingendum coniunctus. Vrina qualibet vice parca quantitate, ſaepiusque non niſi guttatim mittitur, tanto cum ardore, vt lotium

 aliquando

aliquando in manum aegroti deſtillans acri dolore inſtar feruentis aquae morderet. Collecta nocturnis horis vrina plerumque colorem ex atro rubentem ſeu fuſcum, ob ſanguinis miſcelam exhibet. Per vices etiam fruſtula muci cruenti tenacioris ſeu ſanguinis coagulati concurrente anxio et ardente dolore, cum vrina excernuntur. Medicus itaque emulſ. ex amygd. ſem. card. Mar. papav. alb. aquis petroſel. chaerefol. abſorb. citr. nitro. Syr. pap. alb. atque ob dolorum atrociam veſpertinis horis pulu. nitroſ. cum ſpec. de hyac. et parua doſi MPil. de cynogl. offert. Ex quorum puluerum vſu aegrotus moleſtiarum aliqualem remiſſionem lenemque ſudorem, quo ſub lucis ortum leuatur aeſtus, experitur. Commendatur quoque veſica decoct. fl. Cham. c. lacte repleta, atque regioni pubis imponenda, quae itidem fecit bene. Loco potus ordinarii ſero lactis c. ſucc. citr. parato, per vices etiam decoct. avenac. vel hord. item ceraſorum exſiccatorum cum nucleis contuſorum, aeger vtitur. Die XIXno Febr. mixtura ex eſſ. caſcar. millef. Cort. Aurant. liqu. anod. praeſcribitur, reiterata ſimul potione emulſiua leniente. Quibus omnibus voto nondum

dum satisfacientibus, medicus ad dissoluendos, si qui in vesica restent, sanguinis grumos, vrinae acrimoniam exsuperantem temperandam, sicque demulcendos dolores, ardoremque in vrethra inter mingendum acerbum, iniectiones mediante cathetere instituendas commendat, et quidem eo magis, quo certius huius instrumenti applicatione edocemur, vtrum in vesicula calculus, (cuius omnia reliqua signa in aegroto absunt) lateat, an minus? Sed abhorret aeger instrumenti applicationem; interim decocto hordei, addito melle rosarum, mediante Syringa in vrethram iniiciendum admittit, quod mucilaginosa sua indole vrethram obducendo, saltem mictionem insequentem paullo liberiorem et ab omni fere molestia immunem praestitit. Quemadmodum vero coniectura facilis est, his ipsis iniectionibus, quum in vesicam ipsam non penetrarent, ipsum mingendi stimulum, vel mictionis dolorificae caussam tolli minus potuisse: ita biduo elapso, aegrotus pertaesus eas admittere amplius noluit. Quum vero calore potissimum dolores leuari sentiret, vt membrum virile, regionemque pubis per sacculos siccos ex hb. menth. meliss. fl. cham.

 samb.

ſamb. perpetuo foueret, medicus ſuaſit, licet fomentationes, cum vino inſtitutas, multo efficaciores fore iudicaret, quas aegrotus itidem recuſauit. Interim aluina iterum obſtructione, flatulentiam, omniaque ſymptomata exacerbante, immo manifeſto ſpaſtica circa veſicam vrinar. incommoda excitante, quum enemata recuſentur, rheum cum crem. tart. exhibetur, non ſine ſymptomatum leuamine. Poſt haec aegroto infuſ. theiform. ex rad. alth. liquir. hb. veron. heder. terr. fl. bell. cet. Syr. alth. F. edulcorandum quouis mane offertur; reliqua praeſcripta continuantur, niſi quod iterum mali pertinacia aegrum fatigante pulueres aliquot ex abſorb. citr. nitro. c. MP. de cynogl. circa veſperam ſumendi praeſcribantur. Continuat vero mictus ſanguinolentus difficilis cum ſtranguria. Vrina fuſci coloris plus minus diluta excernitur; aeger plerumque nocturno tempore magis, quam interdiu, mingendi ſtimulo vexatus, corpore animoque languet. Symptomatibus ob aluum per triduum clauſam denuo exacerbatis, reiteratur vſus pulv. rhei, qui quatuor vel quinque ſedes cum multorum flatuum exploſione mouit: quo facto, aeger haud parum leuatus, aliquot

aliquot horas extra lectum degit. Nocte quoque altera sequente sat bene quieuit, somnoque rarius interrupto recreatus, postea vrinam, quamuis non sine doloris sensu, paullo liberiori tamen fluxu claramque paucissimo sanguine ad fundum subsidente, reddidit. Quotidie etiam aliquot horas sat commode extra lectum transigere coepit. Tantum vero absuit, vt constans esset hoc gaudium, vt potius, elapso triduo, vrina iterum cruore tincta, mox etiam opaca, fuscique coloris adpareret. Quumque nocturno tempore aestus quoque ingrauescere videretur, medicus pomeridiano tempore tres pulueres temperantes maiori nitri dosi et spec. de hyac. maritatos sumendos ordinauit. Quibus effectum est, vt aestus nocturnus, anxiis potissimum mictionis doloribus auctus, egregie remitteret, et vrina iterum clara redderetur, paucissimo sanguine perfusa; aegro quoque nocturna requie magis refecto, adderetur animus. Interpolatum quoque vsum dilutioris decocti rad. petrosel. rec. medicus vetare noluit, quum aeger semper se exinde molestias leuatas sentire affirmaret. Aluus vero officio iterum deesse coepit; adeoque, quum enemata non admitte-

 rentur

rentur reiterato pulueris rhei vſu eam excitare opus fuit; ſequenti vero nocte aeger crebro deſidendi conatu absque torminibus excitatus, qualibet vice exiguam portionem muci, inſtar ſpermatis ranarum, (vt in haemorrhoidibus accidit albis) deiecit. Poſt haec vero vrina denuo ſanguine, tandemque colore fuſco tingi coepit: tumque quaeſtio fuit, an non malo toties rebelli ſanguinis miſſione, in qua ipſe aeger magnam fiduciam ponebat, obuiam ire conduceret. Quum ille temporis, quo remiſerat malum, interuallo haud parum refectus videretur, per omnem quoque morbi decurſum adpetitu haud adeo proſtrato laboraſſet, immo, tanta licet ſanguinis iactura per vrinarias vias facta venae interdum turgentes apparerent, medicus Vsnem die XImo Mart. in brachio inſtituendam curauit. Liquor vitalis e vena ſecta cum impetu proſiliens, ſubnigricantis fuit coloris; interiecto vero temporis interuallo ſerum ſat copioſum, ſed ſubuiridi colore infectum exhibuit. Nocte quidem inſequente, vrina miſſa adhuc coloris fuſci, ſeu ex atro rubeſcentis fuit; poſtea vero mictio ſanguinolenta ſenſim remiſit, neque huc vsque recurrere obſeruata eſt, niſi,

quod

quod ante biduum frustulum sanguinis coagulati tenacissimi, pisi maioris magnitudine cum vrina fuerit excretum. Vrinae ardor, licet itidem post VSnem paullo mitior fuerit, penitus non cessauit, sed subinde sat vehementer exacerbatur, immo interdum ex leuiori corporis motu vel etiam, quoties flatus emittitur, in anteriore vrethrae parte versus glandem doloris sensus (qualis alias calculosis familiaris esse solet,) excurrit. At notasse adhuc iuuabit, aegrotum non modo superiori iam aestate, verum et saepius, durante hoc ipso adfectu, sanguinis coagulati frusta pisis multo maiora, immo, quum ante XIV circiter dies, medico inscio, cepas assatas regioni pubis applicuisset, eiusmodi frustra colore florido cinnabarino adfecta cum vrina reddidisse. Addere quoque liceat, nonnullos in aegroto laesionem, immo exulcerationem in sphinctere vesicae statuere velle, cuius tamen rei, si penitius perpendatur, minus certa adsint indicia, quum nunquam vrina foetida, vlcerosa obseruata fuerit. Num vero hoc malum inter spasticos vesicae partiumque adiacentium adfectus referendum, ipsaque sanguinolentae mictionis scaturigo in ramis vasorum hae-

mor-

morrhoidalium ad veſicam pertingentium quaerenda ſit, id quidem eſt, quod aliorum acutiori relinquitur iudicio. Sufficit, omnia, quae in aegroto obſeruata ſunt, phaenomena, ipſamque medendi methodum candide, vt decet medicos cordatiores, indicaſſe.] Petitur ergo conſilium.

Suerini
d. 16. Mart. 1749.

HERMANN. LVDOV. BECKER, Dr.

* * * * * * * * *

Hiſtoria haec morbi transmiſſa fuit Doct. C. Practico, qui quidem, penitus probata methodo adhibita, morbum cum variis ſuis pathematibus ex anomalia motuum haemorrhoidalium et ſtaſi ſanguinis inflammatoria circa ſphincterem veſicae atque vrethram plenius explicatum, maiorem omnibus remediis declarauit. Ne tamen conſilio deeſſe videretur, ſuaſit, 1) epithema ex aqua vulnerar. Pariſ. ſpirit. balſ. off. vini camph. eſſ. croc. cum linteis quadruplicatis regioni pubis et perinaei applicandum, ſuperimpoſitis ſacculis ex herbis paregoricis et diſcutientibus, cum vino gall. alb. decoctis et probe expreſ-

expreſſis; 2) mixturam reſoluentem et diapnoicam ex aqua ſamb. cet. aceto deſtill. lap. cancr. liqu. min. anod. H. 3) puluereſ abſorb. c. nitro regenerato, et camphorae tantillo. 4) applicationem hirudinum, 5) praeter enemata, euacuantia e rheo, manna paſſulisque minoribus.

Continuatio caſus.

Ante, quam ad nos perlata eſſet Doct. C. conſultoria reſponſio, iam aegrotantis valetudo in melius ire videbatur, ita, vt non modo mictus cruentus euaneſceret, doloresque, mictionem comitantes mitiores fierent, verum et ipſe, recuperatis viribus extra cubiculum ſeſe conferre atque cum ſuis menſae accumbere poſſet. Neque tamen propterea quicquam omiſſum fuit, quod ex laudati medici ſententia, ad ſubleuandas aegroti moleſtias facere poſſet, ſed potius commendata ab ipſo remedia in vſum fuere vocata. Tantum vero abfuit, vt ſingulare aegroto adferrent leuamen, vt potius non ita multo poſt omnia iterum in deterius ruerent. Frequens mingendi ſtimulus cum multis cruciatibus coniunctus, vix fecit inducias, neque ab illo tempore aeger pedem cubiculo

culo extulit. Cruentum mictum periodice, scilicet singulis mensibus, recurrentem, mox tamen iterum cessantem, ipse obseruauit. A doloribus nunquam fere immunis est, et licet interdum per aliquot dies dolores tam moderati sint, vt aeger sat commode in hypocausto obambulare possit, et nocturna quoque recreetur requie, mox tamen recrudescentes ita saeuiunt, quasi disrumperetur virile membrum. Adnotante aegro vel leuissima partium corporis inferiorum refrigeratio dolores ferocissimos reddit: flatus, quibus maxime infestatur, idem efficiunt, tumque ne corporis quidem situm mutare ob cruciatuum metum aeger audet. Calculum vesicae complicatum esse credit; recusat tamen instrumenti, quo res exploretur, applicationem: de medela desperans a medicamentorum vsu fere abhorret, nisi quod puluere nitroso temperante, atque ob flatulentiam, elixirio viscerali, leniter carminatiuo cum spiritu nitr. dulc. subinde vtatur. Singulis quoque mensibus infuso rhabarb. aluum purgat cum euphoria. Per vices modo his, modo illis remediis domesticis dictis morbum leuare tentavit, at frustra. Adpetitus plerumque bonus est,

neque

neque vires; ſi ad morbi diuturnitatem animus aduertatur, penitus proſtratae. Denique non reticendum eſt, aliquot abhinc menſibus aegrotum haemorrhoidibus caecis, intra paucos tamen dies iuſto medicamentorum vſu mitigatis, fuiſſe vexatum.

Suerini
d. 16. Iun. A. 1749.

H. L. B.

Reſponſum Werlhofii.

Egregie deſcriptus et ſapienter curatus morbus, meae quidem tenuitatis iudicio, is eſt, quem haemorrhoides per veſicam vocant, mictus cruentus, per ramos haemorrhoidalis arteriae ad veſicam euntes. Vbi, quando ſanguis vel in vaſis ſtagnat, vel inde effuſus concretusque ſtimulat, dyſuriam et ſpaſmos veſicae accedere mirum non eſt. Affectus eſt ſenili aetati haud infrequens, praeſertim, ſi alioquin ad haemorrhoides procliuitas naturae fuit. Cura difficilis eſt; morbus aegris quandoque commoritur. Alimenta blanda non acria, non excalfacientia; potus, qualis adhuc praeſcriptus vel ex rad.

chinae

chinae et polypodii decocto; motus non nisi moderatus; animus tranquillus; remedia, quae sanguinis circuitum liberiorem per viscera abdominis seruare, serum limpidius ad vrinae vias promouere, et harum vasis neruisque robur addere possunt; ea videntur esse, in quibus spes collocari queat. Ad vrgentia etiam symptomata mitiganda respicere conuenit. Post praestantissima ad istos scopos iam adhibita remedia pauca proponere liceat, quae in similibus casibus vtilia reperi. Aquarum Selteranarum quovis mane mensuram vnam, pomeridie vero et vesperi puluerem balsamicum ex lacte sulfuris, qui aluum seruat apertam, per dies quatuordecim, vel, pro εὐφορία, dari suaserim; postea remedium blande diureticum et tonicum, solutionem extracti Cort. Peruv. in spiritu salis dulci factam, per octiduum, et, facta deinde vnius hebdomadis intercapedine, per alterum octiduum et rursus, alternis semper hebdomadibus ad tertiam et quartam vsque vicem. Quater quotidie eius medicamenti sexaginta guttas dederim, hora ante ientaculum et ante prandium, bihorio post haec, et ante noctem, vitro probe prius agitato. Hac medicina cura-

tus

tus haud pridem eſt verbi diuini miniſter ſeptuagenario maior, ex eodem plane affectu, his ſex menſibus bene valens, ab mictu cruento et dyſuria immunis. Venaeſectio tempeſtiua, bis forte per annum, remittenda non videtur. Ad aluum, vbi opus videbitur, aperiendam, idem, quod dixi, lac ſulfuris egregium et in haemorrhoidariorum morbis ſingulare eſt, vrinam etiam promouens magis, quam minuens, quod alia aluum cientia ſaepe faciunt. Dari poteſt ſub noctem ad drachmam dimidiam vel integram ex emulſione ſeminis melonum vel ſimili. Et ita quoque ad leuandam dyſuriam confert. Si grauius haec vrgeat, pulueres anodyni, quales cum pilulis de cynogloſſo excellentiſſimus medicus ordinarius praeſcripſit, adhiberi poſſunt: extus etiam emplaſtrum de hyoſciamo Ludovici, ſpiſſe linteo obductum, pubi admoueri. Catheteriſmus et iniectiones in veſicam, ſi grumi ſanguinis fruſtra omnino exitum moliantur, grauiterque afficiant, ſacra anchora eſſe queunt. Deus conſiliis benedicat. Scribebam Hannouerae d. 23. Iun. An. 1749.

PAVL GOTTLIEB WERLHOF. D.

 Epi-

Epiſtola prima.

Vir illuſtris,

Experientiſſime doctiſſimeque,

Vix ac ne vix quidem auderem, Tibi, Vir illuſtris, negotiorum magnitudine obruto, hiſce obſtrepere litteris, niſi meum eſſe putarem, deſiderio ſenis, miſerando iſto veſicae morbo excruciato, qui haud ita pridem opem abs Te petiit, ſatisfacere. Atque, ſi verum fateri fas eſt, oblatam mihi hanc ſcribendi occaſionem eo lubentius arripio, quo certius iterum reſponſum abs Te laturos nos ſperamus, quoque iucundius eſt, ex conſiliis Viri, dudum de arte ſalutari optime meriti atque eruditiſſimis ſcriptis non minus, quam feliciſſima praxi, longe celeberrimi, proficere. Remedia, quae contra rebellem ſenis illius morbum propoſuiſti, Vir illuſtris, ea omnino ſunt, vt de ſalutari eorum effectu nullus dubitarem, praeſertim confiſus aquis Selteranis, de quarum ſingulari in eiusmodi affectibus praeſtantia ſatis conſtabat, quasque ipſe iam aegrotanti commendaueram. Itaque, acceptis Tuis litteris, ſtatim curauimus, vt ſufficiens ſalubrium aquarum portio Hamburgo

burgo transmitteretur: quo facto, aegrotus vergente Menſe Iunio, bona ſpe inchoauit praeſcriptam curationem, atque accurato ordine huc vsque continuauit. At vero ſpes fefellit, morbique proh! ea eſt ferocia, vt vel generoſiſſima ſpernat remedia. Forte etiam natura aegroti medicamentis nimis adſuefacta eſt, vt vel ideo effectum, qui ab iis exſpectari poterat, praeſtare nolint: dici enim vix poteſt, quantopere ille, conſeruandae valetudinis cauſſa, nullo non tempore medicina vſus fuerit. Equidem, quod plus ſimplici vice in eodem obſeruaui, vt, quoties mutarentur medicamenta, toties adfulgeret noua conualeſcendi ſpes, at parum conſtans: idem quoque circa hanc medendi rationem euenit. Nimirum, quum aquas Selter. bibere ille coepiſſet, initio quidem haud parum inde debilitari, ceterum tamen melius habere videbatur, ita quidem, vt vrina largiori copia redderetur, multumque muci albicantis offerret; dolores vero remiſſiores fierent, ipſeque in horto parum obambulare poſſet. At non ita multo poſt euanuit omnis ſpes, de recuperanda valetudine concepta, neque priſtinus aegroti ſtatus aliquantum immutatus fuit, licet

non modo per XVI. dies aquarum vſum continuarit, verum et tertia iam vice vſum extr. C. P. praeſcripta ratione abſoluerit. Interpolatis vicibus lac ſulph. cum emulſ. ſumſit, id quod mitiſſime aluum laxauit. Aliquoties, vbi dolores nimis ſaeuirent, pulueres ſueti anodyni adhibiti fuerunt: applicatum quoque empl. hyoſc. Lud. ſed absque vllo effectu. Itaque miſerrimus eſt ſtatus aegroti, qui perpetuis doloribus, frequenti mingendi ſtimulo, flatulentia, ſubinde etiam herniae moleſtiis vexatus, viribus iam exhauſtis, penitus fere animum deſpondet, beatamque exoptat analyſin. Ad meridiem vsque in lecto decumbit, a doloribus haud immunis, tum lectum relinquens, adpetitu valde deiecto, parum comedit; pomeridianas horas partim ſedendo, partim lente obambulando in cubiculo miſere tranſigit; lectum iterum petenti vix audita ſecunda nocturna, dolores ſomnum concedunt. Quando conſidet, vel de ſella ſurgit, id admodum lente, neque niſi magna cum difficultate multisque doloribus fit. De flatulentia vehementer conqueritur, flatusque ſubinde in ipſum virile membrum irrumpentes acerbiſſimumque dolorem irritantes ſe ſentire

affirmat.

affirmat. Aliquoties iterum in vrina apparuere ſanguinis veſtigia, vix tamen attendenda. Subinde quoque in digitis pedis ſiniſtri dolor quaſi arthriticus ſeſe exſerit et in manibus articuli paullo rigidiores obſeruantur; quae tamen ſymptomata prae reliquis doloribus parum curat aeger. O! ſi Tua, Vir illuſtris, in debellandis morbis dexteritas, Tuaque tot annorum experientia, quae tantae aegrotantium multitudini ſalutaris fuit, ſuppeditarent aliquod medicamen, quod, ſi non tolleret ſenis cruciatus, ſaltem iisdem alleuamentum daret, quantas ille Tibi habiturus eſſet gratias! Nihil iam addam, niſi quod Te, omni, qua decet, obſeruantia obteſter, habeas me quoque fauori Tuo de meliori commendatum; qui nunquam non futurus ſum Nominis Tui illuſtris

Scrib. Suerini d. 29. Aug. An. 1749.

Cultor obſeruantiſſimus

H. L. B.

Responsum.

EXCELLENTISSIMO BECKERO

S. P. D.

DEDITISSIMVS WERLHOFF.

Gratus accepi humaniſſimas litteras Tuas, immeritae beneuolentiae teſtes. Suaue mihi eſt commercium cum medico experientiſſimo, doctiſſimo, χαριεστάτῳ. Sed argumentum triſte eſt, morbus grauis, rebellis, miſere dolorificus. Neque poſſum, quin Tecum ardentibus votis exoptem, vt remedium inueniatur, quod vel tollat feliciter cruciatus, vel ſecure leniat. Corrigenda eſt irritans acrimonia, ſpasmorum dolorifica vis relaxanda, vrinae liberanda via, flatuum copia diſſipanda. Eiectio materiae veſicam moleſtantis et rheumatica ad artus congeſtio naturae permitti poſſet, dummodo tranquilla operetur poteſtate. Sed poſt tot egregia remedia, fere fruſtra vel breuiſſimo cum leuamine vſurpata, haud ſcio, an ab aliis, quam proprie dictis anodynis, ſolatium, quam fieri poteſt, plenum et durabile exſpectari queat. Exaſciatiſſimo Tuo iudicio permitto, an non ex re fore videatur continuatus tertia, quarta, ſexta, octaua, duodecima quauis, pro re nata,

hora

hora vſus medicinae in ſchedula adiecta notatae *), ad guttas pro doſi viginti. Continuandam ſuaſerim non ſolum, donec aliquod perſentiatur lenimen, ſed ad pleniorem vsque dolorum, ſtimuli moleſti flatulentiaeque ceſſationem; et tunc quidem rariores ſenſim doſes dari poſſent, multiplicando denuo, ſi ſymptomata rurſum vrgere viderentur. Noui ſenem iam octogenarium, qui, ex calculo veſicae, ſimilia omnia patitur, vel potius paſſus antehac eſt, donec eodem remedio familiariter vti, ante hoc ſexennium coepit, idem, quoties dolores ingruunt, fauſto cum ſucceſſu repetens. Si aluus ſub eiusdem vſu tardior iuſto ſit, vel omiſſo per diem vnum ſponte ſoluetur, vel lacti ſulfuris aut blando enemati facile cedet. Deus conſilia ſucceſſu beet! Vale et feliciter omnia age. Dab. Hannouerae. d. 2. Sept. An. 49.

Epiſtola ſecunda.

Vir illuſtris cet.

De valetudine ſenatoris illius, quem nupere praeſens inuiſere haud dedignatus fuiſti, vt,

*) Rec. liqu. anod. m. Hoffm. Vnc. dimid. eſſ. anod. drachm. vnam. M.

qnotiescunque opus eſſet, certiorem Te red-
derem, ipſe iuſſiſti, et, crede mihi, nihil vn-
quam accidere mihi potuit gratius, quam quod
ex commercio cum medico tanti nominis pro-
ficere mihi liceat. Eſt vero idem adhuc morbi
ſtatus, quem ipſe obſeruaſti, neque vlla adſunt
mutata ſymptomata. Sedulo quidem adhibuit
aegrotus praeſcripto ordine puluerem ex lacte
ſulph. et elaeoff. foenic. compoſitum, iuncto
vſu aquarum Selteranarum, ſed absque vllo le-
vamine. Neque id efficere valuit puluis, lar-
giori licet doſi ſumtus, vt aluus inde reddere-
tur magis libera, ſed potius ſub eiusdem vſu
ſegnior ſolito eſſe coepit, ita, vt aliquoties eam
enemate aut ſuppoſitorio excitare neceſſe fuerit.
Itaque contrarium fere in hoc aegroto prae-
ſtant medicamina effectum; quemadmodum
durante vſu liqu. anod. H. c. eſſ. anod. remixti
aluum non tardiorem, vt alias fieri ſolet, ſed
per vices fluidiorem exſtitiſſe obſeruaui. Qua-
tuordecim abhinc diebus VS. in pede, in qua
multum confidere videbatur aeger, celebrata
fuit; quam diſſuadere nolui, cum conſuetas ſan-
guinis miſſiones bis forte per annum inſtituen-
das, Tu, Vir illuſtris, haud diſſuaſeris, neque
etiam

etiam vllus hoc tempore praeternaturalis calor in aegroto obſeruatus fuerit. Sanguinis miſſi, qui impetu ſat valido ex vena pertuſa profiliit, quantitas aequauit ſeptem circiter vncias, et licet cruor ſubnigricantem offerret colorem, ſerum tamen non adeo a ſtatu naturali, ſicut ſuperiori vere, deflectere videbatur. Selteranis aquis vtens aeger obſeruauit pedum tumorem, qui poſtea iterum decreuit: ceterum vires iam morbi moleſtiarumque ferocia magis magisque attritas ſe ſentire adfirmat. Haec ſunt, quae ignorare Te noluit idem, axactiſſimum Tuum iudicium pariter ac conſilium expetens. Vale, Vir illuſtris, atque fauori Tuo ſempiterno commendatum habe

Nominis Tui illuſtr.

Suerini,
d. 28. Oct. 1749.

cultorem indefeſſum
H. L. B.

Responsum.

EXCELLENTISSIMO D. BECKER

S. P. D.

OBSEQVIOSISSIMVS WERLHOFF.

Gratiſſima mihi eſt amicitia medici doctiſſimi politiſſimique, eamque gratus perpetuo colam. Doleo impenſe fruſtraneos in ſenatore valetudinario artis noſtrae conatus eſſe, et vereor, ne ſenſim cachecticus contabeſcat. Liceat mihi proponere vſum copioſum nitri, remedii aluinas vrinariasque vias ſine agitatione vlla aperire, ſpaſmos etiam dolorificos mulcere apti. Sed doſin ad integram Vnciam aquae ceraſorum vel alius deſtillatae Vnciis ſex vel pluribus ſolutam, quouis mane tribus vicibus, quadrantis forte horae interuallo, quemadmodum acidulas vel lactis ſerum potare ex vſu eſt, ſuaſerim, per dies XIV. vel plures pro εὐφορία. Vale. cet. Dab. Hannov. d. 4. Nov. 1749.

ADDENDA.

Exhibita fuit aegroto, ex conſilio WERLHOFII, ſolutio nitri. Quum vero adauctos inde vrinae ſtimulos dolorificos crederet, noluit vlla amplius

plius medicamenta, niſi emulſiones lenientes ſumere, neque ita multo poſt obiit.

* * *
* * * * * *

Caſus ſimilis
cum ſuſpicione calculi.

Vir illuſtris etc.

En, quam pace Tua exhibeo hiſtoriam morbi, ei fere ſimilis, cuius occaſione primum Tibi innotuiſſe gaudeo. Vir generoſus de V. militari quondam munere functus, ſexagenario maior, habitus corporis ſtrictioris, temperamenti ad ſanguineo-cholericum prope adcedentis, nulli haemorrhagiarum generi nec aliis morbis gravioribus obnoxius, vix vnquam aegrotare ſe meminit, niſi quod haemorrhoidibus coecis, olim ſaepius infeſtis, et ſubinde ſcorbutica purpura, ſemel etiam calculi renalis incommodis, poſt eius tamen excretionem repetitumque ſaepius ſalis Anglic. vſum penitus conquieſcentibus, fuerit vexatus. Iam vero aliquamdiu vrinae excretio varias attulit moleſtias, perpetuum ad mingendum ſtimulum, qui ſingulis fere horis vel adhuc frequentius vrinam reddere cogit,

ſen-

ſenſum ardoris in vrethra, immo et inteſtino recto moleſtum, incontinentiam vrinae durante ſomno interdum contingentem. Vrina miſſa, lactis ſero ſimilis, deponit ſedimentum craſſum, mucoſum: adpetitus languet: aluus minus reſpondet officio, nec ſomnus pro conſuetudine reficit. Varii in conſilium vocati medici, quorum vltimus, quantum conſtat, aſae foet. largus fuit diſpenſator, varia, neſcio quae, tentarunt remedia, at effectu omnino irrito. Superiori menſe et meae tenuitatis conſilium fuit requiſitum. Suſpicatus non absque ratione, calculum forte ſubeſſe veſicae, licet aegrotus ponderis in perinaeo ſenſum, poſt vrinae miſſionem exacerbatum, aut in glande penis titillationem moleſtam percipere, vel vnquam vrinam arenoſam ſabulumque ſeſe excreuiſſe negaret, propoſui catheteris applicationem. Cuius tamen vſus cum non admitteretur, praetereaque ſymptomata modo dicta, etiam abſente calculo, ab aliis cauſſis, haemorrhoidibusque per veſicam mucoſis ſuſtineri queant, talem eligendam putaui methodum, quae et praeſente calculo minus obeſſe, ſed potius alleuamentum quoddam dare poſſit. Suaſi itaque, 1) inſuſ.

fuſ. theiforme ex rad. cichor. glycirrh. hb. veron. meliſſ. ſumm. millefol. cet. quouis mane bibendum; 2) elixir. viſc. balſ. Hoffm. c. eiusdem liqu. anod. 3) pulueres nitroſo-abſorbentes cum emulſione ex amygd. ſem. papav. alb. ſyr. de alth. F. cet. parata; 4) lac. ſulph. ad aluum, vbi opus videretur, aperiendam; 5) pro potu ordinario decoct. rad. chin. et ſaſſaparill. 6) vſum enematum pro re nata repetendum. 7) abſtinentiam ab acidis, acribus, excalfacientibus. 8) VSnem, cui valde adſuetus eſt aeger, circa aequinoctia eo minus negligendam, quum pulſum deprehenderem perquam magnum ac fortem. Interiecto octo circiter dierum interuallo per litteras certior factus, moleſtias huius medicationis ope egregie mitigatas eſſe, licet adhuc et veſperi mictionem comitarentur dolores tam vrethrae, quam inteſtini recti, acerbiores, continuandum ſuaſi vſum remediorum, paucis tantum mutatum, ſubſtituto in locum infuſi theiform. decocto ad calc. For. c. Syr. de alth. F. additisque pulueribus aliquot temperantibus cum pil. de cynogl. remixtis, vrgente neceſſitate interponendis. Neque hac methodo deſtiti, quum XIII. circiter

die-

diebus elapſis ſtatum aegroti valde tolerabilem eſſe audirem, ob nocturnam tamen vrinae incontinentiam epithemata ex herb. roborantibus neruinis, vino rubro coctis, ad regionem pubis et perinaei applicanda, ſimul commendans. Ante octiduum vero, vena in pede ſecata, poſtero die ex improuiſo inuaſit aegrotum paroxysmus febrilis haud leuis, in ſeram vsque noctem, protentus. Arceſſitus inſequente die, praeter pulſum more ſolito magnum ac plenum, nil amplius febrilis, ſed potius, aegroto referente, ſymptomata ſpaſtica paullo remiſſiora vrinamque ad naturalem colorem propius adcedentem, cum ſedimento tamen albo mucido obſeruaui. Eiusdem quidem tenoris adhuc ſtatum eſſe aegrotantis, a febribus quidem inſultibus immunis, verum de inſigni adpetitus viriumque languore, aluo ſegniori, nec lacti amplius ſulph. nec enematibus rite obtemperante, pathematibus etiam colicis leuioribus veſperi nonnunquam infeſtantibus conquerentis, heri per litteras certior factus, non dubitaui, ipſi mittere extr. Cort. Per. in ſpir. ſal. dulc. ſolutum. Dudum iam ſuaſi vſum aquarum Selteran. quam primum hic locorum ha-

haberi poſſent, tentandum, nec abnuit conſi-
lium aegrotus, Tuum tamen ſimul iudicium,
Vir illuſtris expetens. Vale nec vnquam fauore
Tuo excidere patere

Nominis Tui illuſtr.

Suerini
d. 12. Apr. 1754.

cultorem deuinctiſſimum
H. L. B.

Reſponſum.

EXCELLENTISS. BECKERO
S. P. D.
CVLTOR OBSERVANTISS. WERLHOFF.

Generoſo viro V. idem, quod Tu conſuluiſti, remedium inter legendum litteras Tuas, iam deſtinabam, quum id ipſum a Te praeſcriptum reperi. Extractum puto Cort. Peruv. in ſpir. ſal. dulci ſolutum, quod et ad renes et ad veſicam roborandam, liberioremque vrinae ſecretionem et excretionem promouendam; quaecunque ſubſit vtrimque cauſſa, facit, et acrimoniae illi haemorrhoidali et ſcorbuticae conducit, quae ad vrinae vias diuertit, calculo forſan ſociata, ibique ſtimulos imprimit, adpetitum quo-

quoque languentem et vires inſtaurare aptum. De febre ipſa non dico, quae indicationibus cumulum addit. Dederim eius remedii quater interdiu guttas LX; continuauerim per octiduum, vel vltra pro εὐφορία, repetierim idem alternis hebdomadibus ad tertiam vsque quartamue vicem; vere adoleſcente Selteranas aquas ſuaſerim. Continuari interim cum fructu poſſet decoct. Foreſti, emulſio papauerina, lac ſulfuris, vbi eo opus, et diaeta abs Te praeſcripta, epithemata item roborantia, quae inter ſpirit. vin. rectificatiſſ. camphoratus egregie ſe gerere ſolet, calefactus in patina ſupra carbones, et cum panno laneo inibi madefacto applicatus. Aluum, ſub extracti Cort. vſu, liberiorem fore ſpero, vel ſaltem lacti ſulf. auſcultaturam. Sin ſecus, interponi tuto poteſt Vncia ſalis Rupellenſis Seignettae. Vale, et feliciter omnia age, et viro generoſo me gratum muneris cauſſa profitere. Dab. Hannov. d. 19. Apr. 1754.

II. Mor-

II.

Morbus cacheƈtico - conuulſiuus.

P. P. Ego vero cum omnibus iis, qui maxima Tua merita, Tuamque ſingularem humanitatem norunt, haud exiguo adfeƈtus fui dolore, quum de graui, quocum conflictatus es, morbo triſtis rumor percrebeſceret. Neque ideo dubitabis, Vir ill. quanta fuerit animi laetitia, qua nuntium de valetudine Tua, in melius eunte, exceperim. Gratulor iam Tibi de periculo feliciter ſuperato ex intimo cordis adfeƈtu; ſed num Tibi ſolum? gratulor et maxime iis, quorum adhuc ſaluti ſeruatum Te voluit ſummi Numinis gratia. Gratulor denique et mihi, ſperans fore, vt in poſterum quoque liceat mihi tam eſſe felici, vt in caſu ancipiti ad expertiſſima Tua conſilia confugiam. Qua fiducia fretus non modo mei ipſius ſtatum, adiunƈta hiſtoria morbi nupere ſuperati, enarrare audeo, verum etiam nullus dubito, quin pro Tua in me beneuolentia ſalutari conſilio vacillanti meae valetudini ſuccurras. Vale atque vlterius faue

Nominis T. ill.

Suerini
d. 3. Aug. 1750.

cultori deuotiſſ. H. L. B.

K Natus

Natus XXVIII annos parente haemorrhoidario, puerili aetate narium haemorrhagiis, maxime vero catarrhal. ad caput defluxionibus obnoxius ab aliis morbis huc vsque immunis exstiti, nisi quod, septimo abhinc anno, parum abesset, quin post infelicem dentis exstirpationem, haemorrhagia gingiuarum enormi exspirassem. Post haec Ienam deueniens grauissima vertigine correptus fui, quam tamen Vsne in pede debellaui, ex quo tempore quotannis vere Vsectionem in pede reiteraui, atque moderatum victum obseruans semper bene habui. Annus iam est, quum, hospitio mutato, lautiori diaeta vti coepi, inuitus licet, quum talem diaetam colligendae plethorae, ad quam valde procliuis sum, nimis fauere intelligerem. Accedit, quod praeterita hyeme multis morbis epidemice grassantibus, perpetua platearum conculcatione, turbulenta tempestate, meditatione atque lucubrationibus corpus mentemque nimis forte fatigauerim. Factum hinc reor, vt, vere vena secata, effluens sanguis alias semper floridus obseruatus, iam praeter exspectationem pessimam proderet indolem, vnde statim imminentem corpori morbum metuere coepi. Interim per aliquot adhuc menses vix vllum praeternaturale adparebat symptoma, nisi

nisi quod languorem quendam omnium actionum sentirem. At Mense Iunio, cum solus in museo potum Caffeé biberem, subito de sella in terram prolapsus, tandem quasi ex profundo somno exsuscitatus, ipse nesciebam, quid mihi accidisset, nisi quod oculum lapsu valde laesum atque vestes prunis, in foculo adstantibus, combustas viderem, nausea simul mentisque obnubilatione infestatus. *) Paucis post diebus, iterum vertiginosa tali correptus fui capitis afflictione, cum qua aduocatus statim Dn. H. Ducis nostri Archiates, conuulsiuos motus coniunctos obseruauit. Adplicatis enim enematibus ad me redii, sed infestantibus frequenter pauoribus in somno, atque insomniis terrificis, tertio die VS. in pede, suadente Archiatro, fa-

*) Veram eamque grauissimam fuisse epilepsiam, qua tum temporis paucisque post diebus et plures posthaec correptus fui, aliquot demum posthaec annis, (quod adhuc miror, quum morbum ipse sat adcurate descripsissem) suspicari coepi, et a sorore, quae mihi durante morbo adstiterat, certior factus sum. Ill. WERLHOFIVS, quemadmodum in casu simili semper facere sueuit, nomen epilepsiae sollicite me celandum suaserat, et ipse in litteris responsoriis vitauit.

cta eſt. Aderant praeterea adpetitus proſtratus, nauſea, vomitus aut potius, ventriculo vacuo, vomendi conatus, ſingultuoſa ventriculi commotio, perpetua in ſomnum procliuitas, mentis interdum poſt ſomnum aberratio; ſebriles tamen motus obſeruari vix poterant. Quibus ſymptomatibus a medico laudato antiſpasmodica, analeptica, et temperata ſtomachica, nec non alui ſegnitiei frequens enematum vſus opponebantur. Plus ſimplici vice, quoties vrina ſaturatior ſedimentum deponeret, optima conualeſcentiae ſpes adfulgebat, ita, vt lectum ſubinde deſererem, quem tamen ob ſummam virium proſtrationem mox repetere cogebar: vrina vero tenuis, aquoſa et copioſa, priſtina ſymptomata et ſpaſtica in infimo ventre incommoda certiſſime praedicebat. Tunica oculorum albuginea icteritium fere offerebat colorem, ſicut facies ipſa liuidum, et elapſis XIV. circiter diebus apparebat circa taleolos pedum tumor oedematoſus. Tum vero, ſuadente Archiatro, qui absque frequente corporis motu, animoque a ſtudiis meditatione negotiisque ſolitis aliquamdiu libero, medelam conſtantem vix ſperandam eſſe iudicabat, iter

in

in vrbem patriam inſtitui. Vbi quidem quotidie motu leni corpus exercens, animumque quouis modo recreans in dies melius me habui; redibat adpetitus et ſomnus naturalis: vires quotidie magis reficiebantur; aluus tamen adhuc ſegnis, nec oedema, licet per vices euaneſceret, taleolos pedum deſerebat. Suerinum tunc reuerſus priſtina incidi ſymptomata, virium languorem, membrorum laſſitudinem, torporem et indomabilem, ſiue ſolus, ſiue in conſortio amicorum hortis ruri eſſem, in ſomnum propenſionem, animi circa res aduerſas aeque ac iucundas indifferentiam ſummam, nauſeam, adpetitum proſtratum, vomendi conatus. Itaque per ſextiduum ab omni fere cibo abſtinui: quo effeci, vt, licet vires corporis valde extenuati nimis diminui viderentur, animi tamen vigor cum adpetitu ſenſim rediret. Quo facto, aluus quoque, quae per octiduum fere neque laxantibus, neque ſuppoſitoriis atque clyſteribus reſerari poterat, ſponte officio ſatis faciebat. Itaque corpus iterum leni equitatione vel ambulatione quotidie exercere coepi, motusque eximiam experior vtilitatem. Adpetitus ſat bonus eſt, ita, vt ipſi indulgere haud

 aude-

auderem; ceterum a calidis, aromatibus, ſpirituoſis, crudis abſtineo. Vexat me adhuc oedema pedum ad ſuras vsque excurrens, quod ſaepius plane euanuit, iam vero increſcere videtur. Inſtrui itaque optarem: 1) an non opus ſit, vt ad praecauenda maiora mala corpori medicamentis adhuc ſubueniamus, et an non martialia, quae mihi ſuadere nolunt alii, et quanam adhibendi ratione huic fini aptiſſima ſint? 2) An oedemati topica ſicca vel ſacculos furfuribus, milio et ſale vel abſinth. exſiccato repletos tuto adplicari liceat? *)

Reſponſum Werlhofii.

Gratulationem Tuam de recuperata qualitercunque ex grauiſſimo morbo ſanitate gratiſſimus accepi. Gratulor viciſſim toto animo, quod

*) Litteras illas vna cum hiſtoria morbi mei non ſine labore multo magnisque moleſtiis, ob ſummum corporis mentisque languorem exarare me et deſcribere (quum inter ſcribendum ſubinde adhuc motus ſpaſtici manum cum calamo auellerent) memini. Medicationi e ferro, quam aliquoties ob recurſus tumoris pedum cachectici repetere opus fuit, vitam debeo et ſanitatem, nullis vnquam poſthaec epilepticis inſultibus obnoxiam.

quod Tua, quam labefactatam audieram, et impense indolueram, valetudo in melius restituta est. Deus porro benedictione sua adiuvet! Adfectus, quocum conflictatus es, cacheeticus et spasmodicus fuisse videtur, ex hypochondriorum obstructorum, neruorumque debilitatorum vitio. Caussas procatarcticas egregie ipse recenses, diaetam solito lautiorem, plethorae genitricem, exercitia clinica violentiora, sub turbulentae tempestatis iniuriis; praecipue etiam lucubrationes, meditationesque profundiores. Ista omnia post haec moderanda esse, res ipsa indicat. Abstinentia a repletione omni, a duris, calidis, acribus, potus tenuis et parce vinosus, exercitium corporis moderatum, animique tranquillitas et ab immodicis meditationibus studiisque remotio, omne ferent punctum. Remedia, quae ipse proponis, Martialia penitus probo, per longum tempus, sesquimensem vel menses duos continuanda. Liceat proponere formulam pulueris, hora ante ientaculum et sexta vespertina quotidie, si placet, sumendi.

Rec. pulu. stomach. Birckm. dr. sem.
Mart. c. sulf. calcin. scrup. sem.
M. pro dosi.

Sperauerim fore, vt, ſine purgantium aliorumve remediorum, niſi quid forte pro re nata indicari Tibi viſum fuerit, vſu, hoc medicamine oedema pedum ſuperetur, et natura contra priſtini mali reditum obfirmetur. Neque vellem externos fotus oedemati admouere. Veredi properant, nihilque addo, niſi vota, quae pro ſanitate et felicitate Tua fundere nunquam deſino. Vale ex animo. Dab. Hannov. d. 7. Aug. 1750.

III.

Adfectus vertiginoſi et ſemiparalytici ſcorbutici.

Epiſtola prima.

P. P. En, quas heri Roſtochio accepi litteras, quibus conſilium rogor. Aegrotus, cuius medicus ordinarius eſt ill. D. vir optimus eſt, munere eccleſiaſtico ſtrenue fungens, vitae ſedentariae ac meditationibus forte nimium indulgens. Temperamenti eſt cholerici, habitus vero corporis laxioris, ſeu ſpongioſi, qualis phlegmaticis ſolet eſſe communis. Adfectus

meae

meae tenuitatis iudicio eſt periculi minus expers, paralyticos aliosue grauiores inſultus minitans. Ex ſeri vitioſi adcumulatione, neruorum debilitate, atque humorum, ob alui ſegnitiem haemorrhoidumque molimina, ad caput congeſtionibus explicandus eſt, ni fallor, ſymptomatum concurſus. Quo minus aegroti, quem plurimi facio, votis ſatisfacere, et praeſens ipſi adeſſe queam prohibent in praeſentiarum aegroti huius loci, quibus ſum a tuenda valetudine, neque melius, ſcio, rebus ipſius conſulere poſſum, quam ſalutaribus Tuis, Vir ill. fultus conſiliis. Itaque dabis id meis precibus, quibus Te obteſtor, vt, quid de medela ipſius malis adferenda ſentias, beneuole mecum communices. Vale atque fauere perge cet.

Suerini
d. 25. Nov. 1752.

H. L. B.

Hiſtoria morbi
ex litteris aegroti extracta.

Aegrotus LV annorum ad dyſcraſiam ſcorbuticam nullo non tempore pronus aliquoties efflorefcentia cutanea leuiori maculoſa in mani-

 bus

bus pedibusque adfectus, ante triennium in fuggeftu vertiginofo infultu corripitur, ita tamen, vt concionem, quamuis non fine moleftia finire poffet. Ab illo inde tempore virium decrementum euidens, cum languore artuumque torpore fefe exferere coepit; quo non obftante aeger moleftiffimis et impenfe cumulatis, quos officii ratio exegit, laboribus perfungi perrexit. Superiori anno recurrebant vertigini fimiles adfectiones capitis grauiores cum languore artuum perdurante animique fubinde, praefertim, quum aliquoties linguae accederet difficultas, abiectione. Inchoatum tum in horto fuburbano decocti auenac. Low. vfum, praeuiis conatibus haemorrhoidum, ipforum fluxus fubfequebatur, at mox iterum ceffans. Hoc anno repetitus, fed domi et fub continuis laboribus, decocti illius vfus nihil prorfus adtulit vtilitatis, ingrauefcentibus potius moleftis fymptomatibus, capitis obnubilatione, languore artuum, in primisque pedum, difficultate loquelae euidentiori et frequenti, fenfationibus tenfiuis colli et fcapularum, nec non gingiuarum dentiumque cum muco tenaciori, labia fere conglutinante, orisque interni ficci-

ſiccitate continua et maxillae inferioris motu difficiliori. In apice linguae inſolitus obſeruatur rubor, cum linguae a quouis dentium contactu dolore moleſto et faucium ſubinde conſtrictione, ipſam deglutitionem difficiliorem reddente, cui ſaepius ſuperuenit ſingultus. Noctu ſudor effuſus, licet nec antehac inſolitus; pedum, alias interdum ſudore manantium, iam perpetuum frigus et dolores tenſiui: capitis ſubinde, praeſertim occipitis, dolores tranſitorii; alui obſtructio frequens. Haud ita pridem faucium aliqualis adfuit inflammatio, breui tamen reſoluta. Ante aliquot hebdomades praeſcriptum fuit infus. theiforme ſpecierum ſanguinem depurantium, ſed absque vllo ſalutari effectu. Ab vſu pulueris errhini Hispanici e tabaco, alias familiari et valde copioſo, iam prorſus abſtinet aeger, nec omnino in diaeta peccare perſuaſus eſt, ceterum huc vsque negotia, quae ipſi incumbunt, concatenata domi et foris ſedulo, quantum fieri poteſt, curans.

Reſponſum Werlhofii.

Equidem Tecum omnino ſentio, difficilem eſſe et periculi minus expertem morbum, cuius

me-

mecum communicaſti hiſtoriam. Vellem per negotia Tua licere, vt aegrotum coram videres vel ex ipſo peritiſſimo medico, qui praeſens eius curam gerit, penitiorem rerum omnium, et medicationis praecipue, quae adhuc adhibita eſt, eiusque effectus notitiam nanciſcereris, et collatis in commune deliberatisque conſiliis opem ferres. Vertigo, qua laborat, ceteraque capitis et neruorum ſymptomata, etſi radicem in impeditiori circuitus ſanguinis ſecretionumque in viſceribus abdominis ratione et moliminibus haemorrhoidum anomalis habeant, idiopathica tamen iam etiam aliqua ex parte eſſe videntur, ex colluuie ſeri, ſcorbuto, quem vocant, vitiati, in ipſo cerebro. Non dubito, quin ill. D. optima quaeque remedia, pro re nata in vſum vocauerit. Atque illa et adhibendi methodum et victus rationem noſſe omnino expediret, ſi quid praeterea in medium conſulendum eſſet. Dicam tamen aliquid, quia ita iubes. Numquid fonticulus in nucha excitandus eſſe videtur? Numquid bis forte in menſe, circa nouam plenamque lunam aluus ducenda remedio aloëtico, ſed quo ſerum ſimul euacuetur, verbi cauſſa, pilulis de ſuccino ad

ſcru-

fcrupulum, ftimulo addito gummi guttae ad grana duo, vefperi fumendis? Numquid ferum lactis, ex lactis libris tribus, quouis mane cum cremoris tart. drachmis tribus coquendo et coagulando paratum, limpidiffimum, medice bibendum, fimulque fuccus nafturtii aquatici, qui iam recens haberi poteft, expreffus et fubfidendo depuratus, ad vncias quouis mane quatuor iungatur? Haec ipfa medicina, ferum lactis, acidularum more, mane ita, poft hauftum fucci eius epotum et diu pro εὐφορίᾳ continuatum, pluribus fatisfacere videtur indicationibus. Aluum fi liberiorem non faciat, lac fulfuris vefperi ad drachmam dimidiam, cum faccharo tritum, in vfum aduocari poffet. De diaeta dicere vix attinet, quam praefens medicus exquifite, dubio procul, praecepit. Id vero monendus videtur aeger, vt obfeqens fit, neque meditationibus, lucubrationibus, curis indulgeat, et moderationem in efculentis, potulentis, aërisque temperie adhibeat. Vale et hunc aegrum, aliosque innumeros, Deo fauente, faluos praefta. Dab. Hannouerae d. 3. Decemb. An. 1752. Multo enim ferius aduenerunt litterae Tuae, nudius tertius, quam vt

eodem

eodem die, quo veredi iam abierant, refcribere licuiſſet.

Epiſtola ſecunda.

P. P. Neſcio, an recorderis morbi, qui ſollicitum habet reuerendum G. cuiusque propterea hiſtoriam, ſuperiori anno Tecum communicatam, pace Tua iterum adiungo. Optabas tum temporis, vt aegrotum coram viderem, omniumque rerum penitiorem adquirerem notitiam. Vidi iam eum, iteratis ipſius precibus adductus Roſtochiumque profectus, et in omnia, pro virium modulo, inquiſiui. Iam ſeptem abhinc annis aliqualem obſeruauit linguae imbecillitatem, quam licet loquela haud obſcure prodiderit, nulla tamen medicatio adhibita fuit, donec natura, ſponte ſuppetias ferens, ſanguine ex interiori genae parte lateris ſiniſtri largius profiliente, reddidit liberiorem linguae vſum. Ante biennium vero iterum linguae, immo etiam manuum aliqualis per vices impotentia ſeſe exſerere coepit, de quibus ſymptomatibus valde ſollicito aegroto, aliquoties curam, quam dicunt, auenaceam Low. medicus ipſius ordinarius, ill. D. praecepit. Primo qui-

dem

dem anno prodeſſe parumper, altero vero nihil prorſus facere viſa eſt illa medicatio. Senſim itaque incrementa cepit morbus, ad eum vsque gradum inualeſcens, qui in hiſtoria adnexa rite deſcriptus eſt. Superiori quidem hyeme, quae medicus praeſcripſit, medicamenta, quantum mihi conſtat, potiora fuerunt 1) puluis epilept. march. cum nitro, tartaro vitriol. Tach. milleped. et pauxillo camphorae; 2) liquor anod. m. H. 3) pilulae laxantes ex extr. panchym. Cr. gent. rubr. centaur. min. gummi heder. iunip. et aloë paratae 4) decocta ex rad. Sarſae, chinae, polypod. enul. bardan. aron. liquirit. 5) elect. ex conſerua roſar. puluere Cort. Peruv. rhab. et Syr. de cich. c. rhab. conflatum, cuius quidem vſus haud plane irritus fuit, ſaltem aegroto vires addidit. Poſthaec, ineunte vere, praemiſſa ſanguinis miſſione, medico conſentiente, ſerum lact. antiſcorbuticum, abs Te commendatum, potum quidem fuit, verum, quod improbare oportet, non amplius menſem continuatum. Lac ſulphuris ad drachmam dimidiam aliquoties repetitum, nullos edidit effectus; in locum vero pilularum de ſuccino, additis gummi guttae granis duobus, vomitus

inde

inde aut nimias alui euacuationes metuens, medicus decoctum lenius laxatiuum putauit substituendum, neque fonticulum, quem iam in brachio gerebat aeger, in nucha etiam excitari passus est. Abrupto seri antiscorbutici vsu, medico iubente, acidulas Pyrmont. in vsum vocare coepit aeger, sed sine effectu conspicuo, ita, vt aliquoties adiuncto aquae Sedlizensis vsu, Pyrmontani fontis operationem secundare, aluumque valde segnem mouere fuerit coactus. Adparuit quidem largus haemorrhoidum fluxus, superuenit etiam in dextro interioris genae latere sanguinis cum impetu saltuque effluxus, vtrumque vero absque leuamine. Linguae impotentia perstitit, et caput simul aquarum potatione grauatum sentire aegrotus coepit. Finito aquarum potu, suaserunt alii balneum ex aqua dulci paratum, quod quidem, medico ordinario non obstante, alternis diebus, per octiduum et quod excurrit, continuauit. Successit sub finem medicationis, magisque adhuc durante balneorum vsu, in toto fere corpore scorbutica efflorescentia, verum nec inde melioris valetudinis spes adfulsit. Conqueritur per vices aegrotus de doloribus pedis sinistri, balneo

sub-

ſubinde paulisper leuatis; pedes quoque interdum, niſi cautius incederet, lapſum minantur, oris ſaepe ſiccitas moleſta eſt; lingua aegrius officio reſpondet, ita, vt iam minus audeat ille e ſuggeſtu concionari: memoria interdum praeter conſuetudinem vacillans ab iis, quibus familiariter vtitur, haud difficulter obſeruatur. Ceterum adpetitus bonus, nec ſomnus deficiens, nec pulſus, qui ipſi naturaliter valde magnus eſt, a conſuetudine multum recedens; aluus vero perquam ſegnis, vix biduo, niſi enemate excitata, officio ſatisfaciens. Diaetam, in cuius etiam rationem ſedulo inquiſiui, admodum negligenter habitam hactenus accepi, aegroto adpetitui omnique eſculentorum generi pro lubitu indulgente. Quibus ſic ſe habentibus, vt ne conſiliis plane deeſſem, inculcandam in primis putaui diaetam magis exquiſitam, commendans tenuem victum, abſtinentiam a cereuiſiis, immo fere curam, quam dicunt, per inediam, praeterea motum corporis, quoad eius fieri poteſt, frequentiorem, animumque a curis liberum. Balneorum continuatum vſum ſuadere non auſus ſum, ob alui moleſtam ſegnitiem, acidularumque Pyrmont.

 eſſe-

effectus frustra exspectatos: contra pedum, qui plerumque frigidiores deprehenduntur, frequentes commendaui frictiones. Neque improbauit qualiacunque haec consilia ill. D. quocum conferre haud neglexi; ceterum post acidularum vsum irritum de aegroti salute fere desperans, ipseque, vt Tu, Vir illustris, consiliis Tuis nobis succureres, valde exoptans. Itaque et aegroti, eiusque moestissimae familiae, et medici meique ipsius nomine omnibus, quibus possum, precibus Te obtestor, si quid superesse consilii Tibi videatur, id nobis beneuole impertias, Tuumque de morbi curatione rite instituenda iudicium expertissimum, quam primum fieri possit, nobiscum communices. Aegrotum, crede mihi, praeceptis Tuis habebis exactissime obsequentem. Vale, Vir ill. et perge fauore Tuo dignari. cet.

Suerini
d. 27. Iul. An. 1753.

H. L. B.

Responsum Werlhofii.

Doleo vices reuerendi viri, cuius caussa meae tenuitatis consilium etiam requiritur, quod

quod quidem, medente Tecum illustri viro D. superuacaneum videtur. Obsequiosum vero me et hac in re, et aliis omnibus, habebitis. Pauca proponam, iudicio vestro vel probanda, vel reprobanda, vel moderanda. Scorbuticus est aeger et ad haemorrhoides pronus. Aberrare videtur sanguis, qui per haemorrhoidum vasa exitum molitur, scorbuti labe inquinatus, et caput neruosque tentans. Semiparalysin scorbuticam dixero vitia illa linguae, maxillae inferioris, manuum, pedum, eorumque etiam neruorum, qui memoriae seruiunt. Et est in neruis imperfecte solutis id saepe symptoma, vt, (quemadmodum in hoc aegro) fauces et pedes spasmis doloribusque laborent. Ipsa etiam vertigo ad spasmos pertinet, grauiorem dein neruorum resolutionem minantes. Sic quoque spasmi pectoris et scapularum linguae debilitatem auxerunt. Mucus oris et siccitas et linguae in apice rubor dolorificus scorbuti, cuius natura est ad os tendere, soboles videntur. Eodem spectat haemorrhagia genae ex haemorrhoidali et scorbutico sanguine aberrante: spectant etiam exanthemata. Annon indicationes fuerint, scorbuticum vitium emendare, sanguini

 libe-

liberiorem ad iusta loca motum conciliare, nervos ab eius et inacescentis seri pressione liberare? Egregia hanc in rem remedia adhuc adhibita sunt. Victus etiam optimus praescriptus. Diaeta herbacea magis, quam carnosa, vitatio indigestorum, pinguium, muriaticorum, cereuisiae potuumque, qui caput feriunt; frequens, pro viribus, corporis motus, in aëre puro, qui clausus, humidus, vaporibus inquinatus etiam in domicilio cauendus est; animi vacatio a curis grauibusque adfectibus aliis, immo et a studiorum meditationumque, praecipue temporibus, cibo vel somno destinatis, excessu, necessaria sunt. Potui dari vellem radicem caryophyllatae, cuius vncia in aquae libris VI. ad tertiae partis consumtionem cocta aquam colatam haud ingratam praebet, saccharo, si lubet, condiendam et pauco vino albo iungendam. Pro medicamento, post tot eximia alia vsurpata, proponere liceat *scillam*, eo modo diu dandam, qui nauseam non moueat. Ita et inter scorbuti antidota ex praecipuis est, et sanguini eiusque sero liberiorem fluxum conciliat, et oris vitiis medetur, et neruos liberat, solutosque excitat, et, vti inter emmenagoga,

ita

ita inter haemorrhoidagoga, vt hac voce vtar, eminet. Antiquum illud acetum fcilliticum, tot laudibus a Galeno aliisque mactatum, fuaferim, hac forte formula, vel fimili:

Rec. Aqu. Flor. paralyf. libr. I.
p. c. acet. fcillit. Vnc. I.
ol. tart. per deliqu. gt. XXXX.
Syr. fl. tunic. Vnc. II.

Huius aquae tertia quaque interdiu hora, fiue quinquies vel fexies quotidie cochlear vnum maius exhiberi velim. Augeri vel minui, pro re nata, praecipue pro ventriculi tolerantia, poteft dofis. Diu vero continuari debet eiusmodi medicina. Chronica chronicis morbis remedia! Vix eft, quod alui obftructio fub eius vfu timeatur. Praecipue quidem vrinas mouere folet, neque vero ceteras, pro naturae nifu, excretionum vias tentare omittit. Sin aluus non refpondeat, laxari fale aliquo amaro etiam atque etiam poteft. Frictiones pedum, ventris etiam, quouis mane in lecto cum pannis afperis, per horae quadrantem, fpinae etiam dorfi et nuchae, vtiliter fiunt. De fanguine mittendo praefens medicus ftatuet Hirudines ano admoueri ex re forte videbitur. Idque bis, ter

 vel

vel quater in anno, verſus ſolſtitia et aequinoctia, fieri poteſt, ad praecauendas vertigines et grauiora ſymptomata, deriuandumque, qui ad haemorrhoides nititur, ſanguinem. Deus omnia fortunet, et virum reuerendum diu ſoſpitem praeſtet. Vale. Plurimam ipſi meo nomine ſalutem dicas, gratiasque agas velim maximas ob ſuperfluum, quod litteris Tuis adiici voluit, munus. Vale iterum. Dab. Hannov. d. 31. Iul. 53.

IV.

Symptomata, polypum cordis mentientia.

P. P. Gratulor Tibi, ex intimo animi adfectu de feliciter ſuperata aegritudine, qua Te laboraſſe audiui et vehementer dolui. Adnuat Deus T. O. M. precibus eorum, qui pro ſalute Tua ardentiſſima vota fundunt, in quorum numero me quoque velim habeas, praeſtetque Te in ſeros vsque annos ſaluum ſoſpitemque!

Ve-

Veniam dabis, Vir ill. pro ſingulari Tua in me beneuolentia, vt iterum pro mea valetudine conſilia Tua, ea, qua decet, obſeruantia, expetam. Menſis Maii medio febris epidemica tertiana ex improuiſo me inuadit, regularis quidem nec grauioribus ſymptomatibus ſtipata, poſt paroxyſmum tertium virtute corticis antifebrilis debellata. Sed reticere haud fas eſt, me in ipſis ſaepe paroxysmis aegrotantium querelis turbatum fuiſſe, nec intercalaribus diebus, quamuis coelo admodum ſereno, aegrotantium viſitationem ipſaque itinera medica euitare potuiſſe. Interim, quoad eius fieri potuit, excretiones largas per ſudores, immo et diarrhoeam ſuperuenientem haud neglexi: profligata vero febri, ſtatim ſeſe exſeruit circa taleolos pedum tumor oedematoſus, quare corticem cum croco Martis remixtum per aliquot dies continuaui cum optato ſucceſſu. Repetendum vero debito tempore corticis vſum noua prohibuerunt itinera; quumque poſt XIV. dies, praeter reſiduam leuem intumeſcentiam pedum, nulla plane infeſtarent incommoda, nimis de recidiua ſecurus, ſumſi ſal Anglicanum, cuius vſui medicationem ex ferro ſubiungere animus erat.

Verum huius rei poenas mox dare iubebat recidiua, tertio inde die ſuperueniens, tumore pedum prorſus ſublato. Oppoſita tamen ſalia media digeſtiua impedire haud valebant, quin non modo alter paroxyſmus magis exacerbatus eſſet, verum et inſequenti die, vtpote intercalari, praeter exſpectationem nouus adgrederetur paroxyſmus. Quo finito, ob inſignem virium defectionem, ſtatim ad vſum corticis, ſingulis binis horis continuati, adcedere coactus effeci, vt febris haud rediret, et per aliquot dies, adhuc ſudoribus nocturnis continuantibus, in melius iret valetudo. Corticis vſu iuſto tempore reiterato, exactius obſeruata diaeta, optime poſthaec habui, niſi quod per vices leuis pedum tumor recurrere videretur, qui tamen frequenti corporis domi rurique motu, absque vlla medicina, ineunte hoc menſe ſponte remiſit. Verum aliud ſucceſſit ſymptoma, magis adhuc mihi ſuſpectum. Senſi die Xmo huius menſis in itinere palpitationem cordis ſyſtolenque per vices intermittentem: quumque poſtero die equo vectus, in vicinia aegrotum inuiſerem, ad ſomnum me compoſiturus, ad mediam vsque noctem pulſum cordis arte-

ria-

riarumque saepissime intermittentem et inaequalem obseruaui. Sequenti die, quum pulsus paullo rarius intermitteret, reuersus, tertio die sufficientem sanguinis in pede missionem institui et ter de die sumsi puluerem temperantem, parcissimo simul vsus victu. Neque tamen hactenus efficere potui, vt intermissio pulsus cum inaequalitate penitus remitteret, licet iam non nisi rarius obseruari queat. Ceterum vix habeo, de quo conquerar: somnus etiam bonus, licet subinde insomniis praeter consuetudinem interturbatus. Adnotasse hic iuuabit, memet per aliquot fere annos systolen cordis, interdum vnica vice, intermittentem obseruasse, rarissime tamen contingentem vix attendisse; post priorem vero febris insultum iam debellatum, saepius post prandium vel ex leuiori corporis motu, aut scalarum adscensione palpitationem cordis pulsationemque arteriarum carotidum, quam vel auditu percipere mihi visus sum, sustinuisse, ita, vt subinde gradum figere per aliquot momenta coactus fuerim. In diaetetico regimine vix mihi excedere videor; excalfacientibus, vino, acribus, nimis nutrientibus, carniumque esu valde mihi tempero; potus ordinarius aqua est; potum Caffeé, a quo nullum vnquam incommodum expertus

 sum,

ſum, bis quotidie, ſatis tamen dilutum, bibere conſueui. Exc. H. qui iisdem ſaepius adfectibus, palpitatione puto cordis pulſuque intermittente vexatur, indeque polypum in corde vaſisque maioribus reconditum ſuſpicatur, pari me malo infeſtatum et ſibi perſuadet, et mihi perſuadere conatur. Equidem ſcio, quod ſigna polypi praecipua ſint palpitatio cordis et intermittens pulſus; annòn vero bina haec phaenomena, praeſertim, vbi ſunt tranſitoria, ex aliis etiam cauſſis, ſanguinis abundantia, ſpiſſitudine et maiori a ſpasmis infimi ventris ad cor congeſtione, excitari poſſunt? Neque tamen ideo omnino vana mihi videtur medici illius perſuaſio, neque metum, animo conceptum ipſe mihi eximere valeo. Quam vellem, vir illuſtris, per negotia Tua licere, vt data occaſione certiorem me facias, quid Tibi de enarrato valetudinis ſtatu, eiusque per diaetetica praeſidia et medicamenta correctione videatur. Vale et fauori Tuo de meliori nunquam non commendatum habe

Nominis Tui illuſtris

Suerini
d. 12. Iul. 1753. cultorem obſequioſiſſimum

H. L. B.

Re-

Responsum Werlhofii.

Gratias ago maximas, quod valetudinis meae caussa et doleas amice, et gaudeas, prout ea varia est. Podagra laboraui, quam quatuor abhinc annis postremo antea habueram, iam belle valeo. Pro Tua vero et restituenda penitus et conseruanda diutissime sanitate, vota enixe fundo. Noli, quaeso, timere: equidem Tibi non timeo. Palpitatio cordis et pulsus intermissio, ex pressione ramorum nerui intercostalis, ob stagnantem sanguinem flatulentum in hypochondriis, vulgatissima sunt symptomata. Neque esse video, cur polypum cordis, malum insanabile suspiceris. Ipsa carotidum pulsatio, quam vel auditu percipis, sursum spasmis ex abdomine determinatum sanguinem indicat. Ad hypochondriaci mali hydram pertinet hoc caput, et febris exantlatae reliquiis adnumerandum videtur. Mihi ante triennium, post febrem malignam superatam, diu eadem symptomata et molesta fuere, et polypi latentis fugitiuam opinionem etiam atque etiam in mentem vocarunt. Sed salua res fuit, quum neruos, cortice Peruv. identidem repetito, penitus natiuo robori restitutos praestiti. Liceat

idem

idem Tibi, vir excellentiſſime, remedium ita proponere, vt quinquies quotidie, ſiue quarta quauis hora, drachmam dimidiam pro doſi ſumas per hebdomadem, qua ita vnciae II cum II drachmis conſumentur; tum ceſſes per hebdomadem accurate vnam, vti in tertianis, qui typus morbo Tuo originem dedit, moris eſt, repetas deinde, vt prius, per dies ſeptem, atque ita tertiam quartamque intercapedinem repetitionemque facias, pari tempore, paribus doſibus. Sponſorem, deo iuuante, me ſiſto, fore, vt et a ſymptomate, quod metuis, et a metu ipſo hoc pacto libereris: ne quid dicam de prioribus morbis, quibus praecauendis, vti roborandae in vniuerſum naturae Tuae, haec medicina apprime apta eſt. Diaetam non improbo, neque ipſum potum Caffeae tenuiorem. Fortiter nutrientia, pinguia, lacticinia, acria, excalfacientia exſulabunt. Curis vacuum animum praeſtabis pro viribus, corpus moderate exercebis, cauebis humidi ventoſique aëris iniurias. Deus omnia fortunet! Vale et me redama. Dab. Hannov. d. 20. Iul. An. 1753.

V. Mor-

V.

Morbus ex arthritide anomala in cachexiam hydropicam transiens.

Epistola prima.

P. P. Ex itinere redux non possum, quin, veredis properantibus, festinante etiam crena, consilia Tua pro viro optimo, humanitate sua meritisque nemini non perquam caro, generosissimo W. expetam. Qui quidem XXXVI. circiter annos natus εὐσαρκος, temperamenti cholerico - sanguinei, natiua fere dispositione paullo asthmaticus, parente podagrico, qui, pari fere aetate, a podagra retrograda obiit, genitus, inde a XXIV. aetatis anno podagrae insultibus subinde acerbissimis vexari coepit, ceterum sat bene valens, licet non semper diaetae legibus obtemperans, vel ipsis subinde paroxysmis podagricis negligentius habitis. Superiori aestate, variarum potissimum altercationum, refrigerationis etiam, aliorumque errorum diaeteticorum culpa valetudinem labefactatam metuens sentiensque, medici cuiusdam suasu potauit aquas Pyrmontanas.

Super-

Superuenerunt vero inter potandum, nescio, vtrum frigidi nimis, tempestate simul impense frigida, potus, an cruditatum ventriculi, quae forte vomitorio praemittendo eliminari debuissent, culpa vomitus: abstinuit hinc potu per octiduum; postea vero eo repetito medicationem absoluit, euphoria tamen, inde exspectata, minus ex voto insequente. Abiit tum, publicorum negotiorum caussa, Rostochium; ob varias vero aegritudines, quas plenius recensent adnexae litterae Exc. LEYSERI *) T. ipsius praedium, redire coactus et morbi symptomatibus valde variantibus, ab omni sese abstinuit medicina. Arcessitus ego vna cum Iurisconsulto, qui absque mora testamentum ipsius conderet, die XXIV. superioris mensis, deprehendi insignem respirandi difficultatem, summam inquietudinem, adpetitum plane deiectum, manus pedesque, quorum extrema tumor oedematosus occupauerat, frigidos, frigidos etiam sudores intercurrentes, agrypniam, pulsum debilem varium, vrinam crassam, turbidam absque sedimento, cum doloribus punctoriis, hypochon-

*) Medici Cellensis celeberrimi et Archiatri regii, tum temporis medici aulici Suerinensis.

chondrium finiſtrum valde infeſtantibus. In hoc rerum ſtatu ancipiti ſuaſi ſtatim iniicien-dum enema, frictiones pectoris pedumque, ve-ſicam decocto emolliente plenam lateri dolenti admouendam, et ſomni tempore exhibui pul-verem ex nitro, diaphoreticis fixis et pauxillo camphorae cum emulſ. ex ſem. card. mar. et aquis diapnoicis conflata. Inde paullo tran-quillior eſſe coepit aeger, ſomno etiam aliquot horarum refectus: quumque mane in abdo-mine adpareret efflorefcentia quaedam cutanea, ad quam valde procliuis eſt, inſtar purpurae ru-brae, et podagrae dolores, antea prorſus ſilen-tes, in pede ſiniſtro intermicarent, ſuaſi bis ante meridiem vſum mixturae ſimpl. c. c. addito liqu. anod. m. H.; pomeridie vero ter pulue-rem dictum leuiter camphoratum ex memorata emulſione. Quibus per aliquot dies continua-tis, die XXX. iterum aegrotum viſitaui, quum-que dolores punctorii plane euanuiſſent, reſpi-randi etiam maior eſſet libertas, pedis vero ſini-ſtri tumor auctus et dolor podagricus intenſior, purpura rubra per femora magis effuſa, adpe-titus paullo melior, vrina haud turbata, parum tantum mutanda cenſui medicamina, mane

mix-

mixturam ſupra dictam, pomeridie bis vel ter puluerem dictum absque camphora cum emulſione amygdalina, enemata frictionesque iterum commendans. Verum enim vero, quatuor abhinc diebus, omnibus iterum turbatis, podagrico dolore vna cum efflorescentia ſcorbutica ſubito retrocedente, priſtinisque redeuntibus ſymptomatibus, aſthmate, ſudore frigido, vrina turbida, nauſea, accedentibus etiam vomitibus, heri tertia vice T. profectus, aegrotum valde debilem deprehendi. Paucis parcisque tamen doſibus emulſionis cum puluere nitroſo-camphorato, vſuque enematis et frictionum, omnia iterum leuari coeperunt, praeſertim, quum podagrae etiam dolores ſiniſtrum pedem denuo tentare viderentur. De hoc rerum ſtatu, quid Tu ſentias, Vir illuſtris, iam reſcire exoptat aegrotus, qui quidem conſulere Te valetudinis ſuae, ſolida quadam ratione firmandae, cauſſa, dudum animo ſtatutum habuit. Vale et perge fauore Tuo proſequi

Nom. T. ill. cet.

Suerini.
d. 6. Dec. 1754.

H. L. B.

Re-

Refponfum Werlhofii.

P. P. Doleo vices generofiffimi W. qui, ex arthritide anomala, grauiter laborat, et huc vsque Tua et excellentiff. LEYSERI ope, fapienter adhibita vix fanatus eft. Deus porro confilia fortunet, et integram reddat fanitatem! Ego iam hic eiusdem fratrem curo, centurio-rem cohortis Praetoriae, qui vndecimum hodie diem febri continua laborat, poft venae in pede fectionem, cui phlegmone fuccefferat. Spero, iuuante Deo, conualiturum. Sed, vt nofti, in acutis nihil ante morbi declinationem fecuri eft. Quod ad Tuum aegrotum attinet, probo omnino ab vtroque medicorum remedia. Si quid addere licet, propono *puluerem pleuriticum Mynfichti*, medicamentum blande aloëticum, ad fcrupulum vnum, quarta quaque hora, cum facchari forte dimidio, dandum, et continuandum pro εὐφορίᾳ. Dici non poteft *), quam lenis

*) V. WERLHOF. oper. med. p. 732. 733. et not. *). Cur vero medicinam, et publice priuatimque tantopere a fe commendatam, deinceps plane neglexerit, vix intelligo. E.

lenis haec medicina euacuans pectus a materiae arthriticae congestione liberet, et hanc vel in artus detrudat, vel e corpore eliminet. Neque efflorescentia cutanea, modo adparens, modo recedens contra indicat. Ea vero adhibenda est cautio, vt alui deponendi caussa aeger non praeter virium rationem lecto exportetur, quum patina supponi possit. Interponi potest, bihorio semper post puluerem, emulsio camphorata, si opus esse videtur, frictiones etiam simul adhiberi, immo et cantharides admoueri cruribus, nisi oedematosus habitus obstet. Continuare licet hunc puluerem per plusculos dies, pro εὐφορίᾳ. Sin asthma grauius vrgeat, quam vt hac medicina vinci possit, si tumor oedematosus ad cachexiam hydropicam inclinare videatur, tunc ad illud ex scilla et ammoniaco remedium, quod excell. LEYSERVS proposuit, confugere licebit. Caetera, et quae deinceps agenda sint, res praesens indicabit. Vale et feliciter omnia age. Dab. Hannov. d. 10. Dec. An. 1754.

Epi-

Epiſtola ſecunda.

P. P. Gratias Tibi ago maximas generoſiſſimi W. et meo nomine pro conſilio Tuo, quod mecum beneuole communicaſti, quodque ipſi mirifice profuit. Equidem poſt primam commendati pulueris doſin expertus eſt effectum prorſus inexſpectatum, ſcilicet ſudorem, ad quem antea minus erat procliuis, ſat largum, cum euidenti etiam leuamine: iteratae tamen doſes mox coeperunt aluum ciere ter quaterue quotidie, quum generoſiſſimus aeger, ob aluum valde mobilem, nimiam purgationem, viriumque iacturam metuens, non niſi tres vel duos tantum pulueres quotidie ſumeret. Continuavit ita, interpoſita ſemper emulſione camphorata, quam optime fert, per trium fere hebdomadum interuallum, excrementis per pluſculos dies naturalis conſiſtentiae, non liquidis, tandem mucoſis, redditis. Euanuit inde aſthmatica adfectio cum reliquis moleſtis ſymptomatibus, rediitque ſomnus recreans cum adpetitu viriumque refectione. Iam, quum ante triduum adeſſem, aegrotus nupere alterum femur, mox vtrumque tumore aliquali, initio

 duriu-

duriufculo, mox molliori feu oedematofo, non aucto tamen pedum oedemate, per annos iam fueto, adfectum videns, ab hydrope inftante haud parum metuere coeperat. Licetne iterum precibus abs Te contendere, V. I. vt ne dedigneris, nos porro confiliis Tuis inftruere, quid agendum, nifi breui fponte diminuatur ifte tumor; annon iam cachexiam hydropicam, de qua fcribis, vere imminere et remedium illud ex fcilla et ammoniaco indicari; an alia fimul fubiungenda cenfeas? Vale et per plurimos annos ex voto omnia age nec vnquam favere define cet.

Suerini

d. 6. Ian. an. 1755.

H. L. B.

Refponfum Werlhofii.

P. P. Solamini mihi eft, quem memoras, fucceffus medicationis in generofiffimo W. Veftro. Frater eius, eheu! de quo nuper fcribebam, decimo quarto morbi die pie et placide obiit. Inuenta poft mortem hernia, quam femper occultauit, in dextro inguine et fcroto,

fpha-

ſphacelo corrupta. Neque tamen colicae vel iliacae ſigna adfuerunt, neque aluus fuit obſtructa, neque dolores queſtus eſt aeger. Solum biduo ante mortem nouus horror febrilis, in ipſa febris continuitate, per quadrihorium durans, cum vomitu inuaſit, et exinde omnia in peius ruerunt, calore inſequente ſummo, cum anxietatibus, deliriis vagis, pulſu celerrimo paruo, tremulo, comate demum, et ſudore frigido, in mortem placidam terminata. Pridie exceſſus veſiculae nigrae duae, auellanae magnitudine, in manu ſiniſtra adparebant, ſiderationis indices. Sed de his hactenus.

Aegroti Tui generoſiſſimi tumor non videtur hydropem minari, ſed ex arthritide reſiduus eſſe, quandoquidem aſthma cum reliquis ſymptomatibus euanuit, et cum adpetitu reduce, ſomnus recreans rediit, viresque refecit, neque auctum eſt vetus pedum oedema. Crediderim tamen, blandiori quodam ex ſcilla remedio, niſi ſponte interim cedat femoris tumor, rem agi poſſe, dando nempe quinquies vel ſexies interdiu, per trihorii forte interuallum, cochlear vnum aquae cerafor. nigr. libr. I.

acet. ſcillit. drachm. VI. olei tart. per deliqu. gutt. XX. quae potio, pro lubitu, ſaccharo vel ſyrupo aliquo condiri poteſt. Vale, et felicitate vtere omnigena et me porro redama. Dab. Hannov. d. 10. Ian. 1755.

Epiſtola tertia.

P. P. Quam vellem iam laetiora referre de ſtatu generoſiſſimi W. at, proh dolor! fefellit hucusque ſpes de meliori ipſius valetudine ſemel iterumque concepta. Equidem, quod Tu, V. I. ſuaſiſti remedium ſcilliticum omne id praeſtitit, quod per corporis aegroti, per peſſimam diaetam dudum eneruati, conditionem licuit. Quum peruenirent ad me ſuperiores Tuae, non modo adauctus admodum erat tumor vtriusque femoris, verum et ipſum abdomen cum ſcroto occupauerat, immo facies quoque tumida adparebat, abeunte ſimul ſomno et adpetitu, qui antehac vix ſatiari poterat, intercurrente aſthmate ſpasmodico - flatulento, cui tamen adleuando ſufficiebat enematum vſus repetitus. Non dubitaui ſtatim adcedere ad vſum commendati remedii ſcillitici, cuius quidem

dem priores doſes inſignem ſudorem, ſubſequentes vero largiſſimam ſecretionem vrinae, quae antehac erat intenſe rubra, ſeu flammea, iam aurantii vel citrini coloris, excitarunt, cum euidenti tumoris decremento. Interponendam ſimul ſuaſi, vrgente aſthmate, doſin potiunculae aſthmaticae, ad modum Brunnerianae conflatae, tum etiam pro re nata clyſteres. In eodem ſtatu verſabatur adhuc vir generoſiſſimus, quum ante quatriduum cum amiciſſimo LEYSERO adeſſem. Iam vero nouum morbus induit ſchema, quum intenſiſſimus dolor, aegroto aſſerente, vix tolerandus, tum manum ſiniſtram cum manifeſta intumeſcentia, tum praecipue genu dextrum, ſubinde etiam ſiniſtrum, inuaſit. Arceſſitus iterum heri, aegrotumque quondam etiam chiragrae inſultus acerbiores ſuſtinuiſſe certior factus, pulſum citatum, vrinam turbidam, obſcure ruſam cum ſedimento craſſo deprehendi, et deſiderio aegroti, doloribus nimis fatigati, ſatisfacturus, ſuaſi ſacculos ſiccos ex farina ſecalina, flor. chamom. et ſamb. ad genu dextrum, in primis dolens, adplicandum, tum etiam puluerem

vnum alterumque nitroſo - bezoardicum cum liqu. anod. m. H. gutt. XX — XXX. et emulſionem amygdalino - papauerinam, ſepoſitis interea remediis ſcilliticis. Remiſerunt etiam hac nocte dolores, et per vices ſomnum conceſſere: aegrotus antea de vita dolorumque leuamine deſperans, paullo tranquillior eſſe coepit, vrina rufa craſſa ſedimentum demittente. Inſcio aegroto, in cuius domo adhuc commoror, haec ſcribo, certiſſime tamen perſuaſus, nihil ipſi fore tam gratiſſimum, quam ſi in hoc mutato rerum ſtatu, nouis Tuis conſiliis ſuccurrere haud grauatus fueris. Vale, Vir ill. et fauori Tuo, cet.

Suerini
d. 31. Ian. 1755.

H. L. B.

Reſponſum Werlhofii.

P. P. Doleo vices generoſiſſimi W. quem partim cachexia hydropica, partim dolorifica et anomala arthritis excruciant, et in pericula inducunt. Egregia ſunt et innocua, quae pro leuamine dolorum, vrgentis indicationis cauſſa, medi-

medicinae ſcilliticae ſubſtituiſti. Soleo eo rerum ſtatu, quo arthritici dolores tumori cachectico accedunt, emulſioni fere tali, qualem praecepiſti, addere, ad octo vncias camphorae cum pineis tritae drachmam ſemis, nitri drachmam vnam ſemis, vt tertia quaque hora cochlearia duo ſumantur, quod remedii genus, pro εὐφορία, continuari poteſt. Ipſi etiam tumori hydropico, vrinam ciendo, nonnunquam inſigniter prodeſt. Qui, niſi inde magis magisque decreſcat, poſt arthritici doloris obtentum leuamen, ad alterum potentius tumoris et aſthmatis remedium, acetum ſcilliticum, confugere denuo licebit. Deus medicamentis benedicat, et auertat grauis morbi periculum! Vale, et me porro redama. Dab. Hannov. d. 4. Febr. 1755.

Epiſtola quarta.

P. P. Iterum T. adſum, calamumque iuſſu generoſiſſimi W. adripio. Quarto die poſt, quam ſuperiores ad Te dedi litteras, praeter opinionem ſuperuenit ſudor effuſiſſimus, quem pro

vere colliquatiuo habuiſſem, niſi plenarium tum aſthmatis reliquorumque ſymptomatum leuamen, tum tumoris decrementum, verbo, laetiſſimam euphoriam attuliſſet. Dextrum tamen genu cum pedibus occupatum adhuc tenuit tumor; quumque arthritici ſubinde intercurrerent dolores, aduocatus non niſi leniſſima diaphoretico - temperantia, de quibus in ſuperioribus meis dixi, continuanda ſuaſi. Poſt haec, quum arthritici dolores vtrumque genu acerbius denuo adfligerent, ex Tuo conſilio exhibita eſt emulſio illa nitroſo - camphorata, quae quidem vtique dolores mitigauit, aegrotum tamen, ipſo quidem iudice, vehementius adfecit. Neque in vrina cienda ſperatum praeſtitit effectum, potius huius excretione parciori reddita, tumor iterum ante triduum adauctus videtur. Video iam in regione potiſſimum iliaca dextra tumorem, diametro duas fere palmas exaequantem, duriuſculum quidem, a fortiori tamen digitorum preſſione foueas admittentem, per interiora femorum ad vtrumque genu decurrentem. Quo rerum ſtatu generoſiſſ. vir iam ante, quam adueneram, miſſa emulſione

cam-

camphorata, ad acetum fcillitic. quod adhuc paratum conftabat, recurrit, nec continuandum hoc remedii genus diffuadet praefens rerum ftatus. Non eft, quod valde conqueramur de appetitu fomnoque: tranfpiratio etiam adhuc bona; animus vero, ob valetudinem femel iterumque in melius conuerfam, neque tamen conftantem, haud parum abiectus eft. Quare tum generofiff. viri, tum meo nomine etiam atque etiam rogatum Te volo, Vir ill. vt ne defis nobis vlterioribus Tuis confiliis folatioque. Vale, nec fauere define cet.

Dabam feftinante crena T.
d. 14. Febr. 1755.

H. L. B.

Refponfum Werlhofii.

P. P. In obftinato illo, et tam faepe, poft pacatiora interualla, recurrente morbo generofiff. Viri, confuluerim vfum *liquoris aperitiui Penoti*, qui, vt nofti, ex fpiritu tartari et vitrioli aquofo conftat, ad drachmam vnam feu guttas nonaginta, quater in die pro ἐυφορίᾳ,

et

et donec, ſi Deus benedixerit, tumor arthriticus aeque ac oedematoſus penitus ceſſet, adſumendi: quo demum facto, ad roboranda viſcera, et reuerſiones praepediendas, aegro ad ὀρθοςαδίαν et virium motricium exercitium reducto, remedia ex Marte, praecipue *vitriol. Mart. ad rubedin. calcin.* in ſubſidium vocare licebit, ſumma anomalae arthritidis auxilia. Vale et feliciter age omnia. Dab. Hannov. d. 20. Febr. a. 1755.

ADDENDA.

Poſthaec generoſiſſ. vir ſenſim, et propemodum integre, ſanitati reſtitutus, Menſe Aprili ipſe per litteras humaniſſimas me inuitauit, vt eum iam non qua medicus, ſed qua amicus, animi recreandi cauſſa, denuo inuiſerem. At poſt triduum adueniens non ſine inſigni animi dolore inueni illum lecto iterum adfixum et grauiſſime aegrotantem, poſtquam praecedente die factum erat, vt in prandio, fortuita de cauſſa, tacita ira valde incandeſceret, dimidiaque ſimul vini Burgundici lagena potata,

poſt

poſt prandium rheda vectus, aëri frigidiori et valde turbulento corpus incautus exponeret. Ab illo tempore, quidquid ageretur, infructuoſum erat, omniaque conamina prorſus irrita. Seſquimenſis circiter interuallo, hydrope arthritidisque anomalae moleſtiis ſat diu excruciatus, vir optimus obiit.

VI.

Chorea S. Viti.

Hiſtoria morbi.

Aegrota erat filia Iurisconſulti, XI annos nata, ſpongioſiori donata habitu, facie rubicunda ſanguineque turgida, vitae ſedentariae maxime addicta, nullis vnquam obnoxia narium haemorrhagiis, variolis ac morbillis diu rite perfuncta, nec non vegeta ſemper valetudine vſa. Inde ab aliquo tempore contraxiſſe videbatur loquendi quandam difficultatem, motibus digitorum manuumque inconſuetis, ſubinde

inde etiam oris quadam diſtorſione ſtipatam. Quae quidem ſymptomata, quum non conſtanter adeſſent, ſed potius tranſitoria viderentur, praeterea motus iſti inſoliti prauae potius, quae iſti aetati haud infrequens eſt, adſuetudini, quam morbo, a parentibus tribuerentur: initio quidem vix opus eſſe videbatur ope medica. Vermes accuſare, tum floridus faciei adſpectus vetabat, tum reliquorum, quae vermium hoſpitium produnt, ſignorum abſentia, nec alia aderat manifeſta cauſſa; ſanguinis vero vel primo intuitui ſeſe offerebat redundantia. Expurgatis per laxans congruum primarum viarum ſordibus, ſuadebatur vſus liquoris anod. m. H. cum liquore C. C. ſuccin. remixti, puluerum nitroſo - antiſpasmodicorum, enematum, pediluuiorum tepidorum, et cucurbitularum cum ſcarificatione brachio pedique dextri lateris, quum ſiniſtri artus magis adfici viderentur, adplicatio. Sed ſuperuenientes ſenſimque ingraveſcentes motus oris, ſuperciliorum, manuum, brachiorum pedumque haud voluntarii, absque vlla, ne quidem per minutum temporis, intermiſſione, excepto ſomni, non plane deficientis,

tis, tempore, mire variantes nec aegrotam amplius pedibus finentes infiftere, iam manifefta erant Choreae St. Viti indicia. Adpetitus erat ex confuetudine bonus, nec vlla mentis alienatio, animus potius hilaris et ad lufus propenfus; pulfus, quantum quidem per continuum mufculorum motum tendinumque fubfultum liceret eum explorare, a naturali parum vel nihil recedens: vrina alba fubturbida cum aliquo fedimento: alui negotium expeditum. Vfus mofchi minus fatisfacere videbatur; olei vero animalis DIPPELII infigne quidem morbi alleuamentum praeftare, at non conftans. Quum parentes VSnem corticisque Peruv. tum temporis nonnullis adhuc fufpecti vfum largiorem aegre admittere viderentur, auctor exftiti, vt res deferretur WERLHOFII iudicationi.

Suerini
d. 8. Mart. 1756.

H. I. B.

Refpon-

Refponfum Werlhofii.

P. P. Eft omnino, quem dicis, morbus adolefcentium fpafticus, Chorea St. Viti vocatus. Summum medicamentum eft *cortex Peruvianus.* Dari fuadeo, fi ita Tibi videtur, in pulvere, praebiis efficacibus, quinquies interdiu ad drachmam dimidiam, cui facchari aliquid et cinnamomi tantillum pro gratia addi poteft, et continuari ita, donec fymptomata omnia ceffent, tum repeti alternis hebdomadibus ad tres alias vices. Primus quidem vfus nonnunquam ad menfem integrum extendi opus habet: nonnunquam vna vel altera hebdomas fufficit. Si, poft diuturniorem paullo exhibitionem, nihil amplius vtilitatis inde refultare videatur, fpasmis non integre fublatis confugio feliciter ad oleum animale, vel gratius illud, ex plantarum regno naturae, quod *caieputi* vocant, cuius fex guttulas quarta quaque hora cum faccharo exhibendo, etiam fine cortice, leuiorem mali gradum in quatuor aegris fuperaui. Iam nunc curo aegram eiusdem, cuius Tua eft, aetatis, quae fruftra vfurpatis illis oleis, cort. Peruuiano, quem hodie octauum diem, dofi fupra fcri-

pta,

pta, adſumit, in dies euidenter ad ſanitatem perducitur. Venaeſectionem in brachio ad vncias ſeptem vel octo praemitti velim. Abſtinentia a cibis acribus, duris, ſucci nimis robuſti, pinguibus, flatulentis, et a potibus fermentatis, pro quibus decoctum viſci, cortice citri et ſaccharo conditum ſubſtituo, ſuadenda videtur. Sunt caſus, praeſertim, quum mens in hoc affectu diu alienatur, vbi neque cortex neque olea volatilia, neque emetica ex antimonio, Venaeſectiones, catharſes, epiſpaſtica, acidulae, anthelmintica, caetera, quibus omnibus ſua conſtat vtilitas, morbum tollunt, ſed ſola exſpectatio. Vidi ad menſes XXI. durare in puella nobili. Sed id rariſſimum eſt. Cortex Peruv. fere ſemper iuuat. Et ea certa eſt conſolatio, nunquam periculoſum eſſe morbum, nunquam perpetuum. Eſt interdum recidiuus, ſemel, vel iterum. Sed et tunc denuo ſuperatur, nunquam aegris commoritur. Vale et me, quod facis, redama. Dab. Hannov. d. 12. Mart. a. 1756.

ADDENDA.

Praeuia VSne, felicius, quam quidem ob continuum mufculorum motum et indefinenter perdurantem agitationem, ficut omnium membrorum, ita et brachii, ab adftante licet manibus detenti, fieri poffe videbatur, adminiftrata, per integrum menfem corticem ftrenue fumfit aegrota, tum etiam ex methodo repetiit, quo factum eft, vt valde remitteret morbus. Quum tamen penitus ceffare recufaret, VSne repetita, fubiuncto vomitorio ex aqua benedicta RVLANDI, repetere etiam debuit corticem, et inde perfecte reftituta, in hunc vsque diem belle valet, numerofae prolis felix mater. Vnde corruit perfuafio nonnullorum, Choream St. Viti femellis fterilitatem inducere.

VII. Ad-

VII.

Adfectus hypochondriacus cum conuulsionibus epilepticis et insigni decremento corporis.

P. P. Veniam dabis litteris, quibus denuo interpello negotia Tua cumulatissima, et pro generosissimo L., cuius adfectiones sonticas, tumultuario licet calamo, inter aegrotantium, quos, domi absens, hic locorum curandos habeo, querelas, descriptas dedi, Tuum, Vir illustris, consilium submisse expeto. Vale, nec Tuo, quo hactenus frui mihi licuit, fauore immeritaque beneuolentia desine complecti cet.

Suerini
d. 3. Sept. 1758.

H. L. B.

Historia morbi.

Aegrotus, XXX nondum annos supergressus, temperamenti cholerico-sanguinei, habitus corporis laxum inter et strictum medii, animi impense sensilis, caeterum sanus, nec haemorrhoidum vnquam fluxum expertus, licet

caecis subinde haemorrhoidibus tentatus, nec vitae ante actae irregularis sibi conscius, ante triennium et quod excurrit, subito absque manifesta caussa corripitur motibus conuulsiuis brachii dextri, mox transeuntibus in epilepsiam, quantum quidem ex ipsius relatione coniicere licet, per horulae circiter interuallum durantem. Ante biennium fere parili infestatus adfectu, quo finito in eodem brachio vena secata fuit, sanguinis missionem quater quotannis repetere coepit, bisque potauit aquas Pyrmontanas, nec amplius, de quo conquereretur, habuit. Superiori vero anno, VSne sueta circa solstitium brumale neglecta, Ianuario exeunte sumit pilular. balsamicarum dosin, posteroque die, post leuiorem forte refrigerationem, praegresso brachii motu conuulsiuo, mentis abolitionem et epilepticos incidit motus, breui tamen transeuntes. Arcessitus tunc temporis et in omnia sollicite inquirens, certior factus sum, adfici ipsum per vices pathematibus, quae videbantur hypochondriaca leuiora, nausea, adpetitu acri, anxietatum sensu, lipothymiam minante, flatulentia; familiarem etiam ipsi esse

tum

tum grauedinem, tum purpuram, quam vocant, vrticatam. Subibat mentem ſuſpicio vermium, quorum tamen haud manifeſta aderant indicia, nec alia euidens, quae mihi ſatisfaceret, adparebat cauſſa ex earum genere, quas vel ad repletionem, vel inanitionem, vel irritationem auctores referunt. Itaque generaliori methodo inſiſtendum, corpus ſuperfluis liberandum humoribus, in primis inteſtinorum canalem a ſordibus probe repurgandum, tumque delicato neruorum ſyſtemati robur reſtituendum ratus, praemiſſo laxante rhabarberino, per aliquot dies exhibui, non ſine inſigni euphoria, quae ſollicito admodum aegroto animum reddebat, tincturam tonic. Stahl. pulveremque ex antiſpasmodicis ſalinis, lumbric. terreſtr. addito oleo caieput conflatum, nec non liquorem anod. m. H. cum eodem oleo remixtum, quoties anxietates praecordiales recurrerent, ſumendum, praeſcriptis ſimul diaeteticis, quae tum aegroti tum morbi indoli convenire videbantur, regulis, et pro ordinario potu rad. chin. or. cum viſco querno decocto. Poſt haec ſuaſi vſum electuarii Tui mundificantis,

tis, eique ſubiungendum antepilepticum illud e cortice et Valeriana, absque melle tamen, quod haud commode ferre ſibi videbatur aeger, paratum, quinquies ex methodo, iuſtis obſervatis interuallis, repetitum. Equidem initio vſus electuarii mundific. tranſeuntibus tunc temporis copiis Boruſſorum, per varias ſollicitudines, animi motus et terrorem frequentem interturbatus, parum voto reſpondere videbatur, intercurrentibus doloribus, ſubinde ſat acerbis, in cubito ſiniſtro, interdum etiam in brachio et femore dextri lateris, in noctem protenſis, qui aliquoties in locum electuarii alia ſubſtituere congrua iubebant: ne dicam de manifeſto corporis decremento, quod inde conſequi videbatur. Senſim tamen, ſubiuncto et ſtrenue continuato altero illo electuario, non neglecta VSne, omnia iſta, quae metum incutiebant, euanuere ſymptomata, ita quidem, vt poſt tertiam iam repetitionem, nec de corporis decremento, nec de vlla alia moleſtia conquerendi ſupereſſet ratio. Interim firmandae magis adhuc valetudinis fine, exeunte Iunio, VSne facta, ad fontem Pyrmontanum abiit,

abiit, at ſucceſſu minus felici, quum ſub finem medicationis balneo inſidens, rumore de copiarum Gallicarum eruptione perterritus, reditum properare cogeretur, variis adhuc in ipſo itinere moleſtiis curisque agitatus. Rediit itaque ineunte Auguſto parum leuatus, corpore admodum extenuatus, languore artuum et dolore grauatiuo, adpetitu proſtrato, ebullitionibus ſanguinis, doloribus colicis leuioribus intercurrentibus, dolore item pungente momentaneo, quem ſaepius in vaſis ſanguiferis percipere ſe ait, fatigatus. Nouis quidem hiſce moleſtiis, tinctura rhabarb. elix. Vitr. Mynſ. mixturis temperantibus cum oleo vini, egregie leuatis, mox vero inopinato fratris obitu denuo exacerbatis; et per anxietates tranſitorias cum manuum madore frigido adauctis, praemiſſa per ſal Seign. cum aqua Selterana catharſi, ad electuar. illud antepilepticum, tanquam ad ſacram anchoram refugit. Aderat hic ipſe ante octiduum, circuitu quidem ſanguinis magis aequali, magisque pacato gaudens, ob recurrentes tamen anxietates iſtas perquam moleſtas, corporis decrementum ac lan-

languorem, tenſionem hypochondriorum ſpaſticam, leues in ſomno pauores motusque artuum ſpaſmodicos admodum ſollicitus. Suaſi VSnem, empl. hyoſciami cum ſaponato iunctum, abdomini imponendum, enemata, temperantia, liquor. anod. oleum caiep. pro paroxysmis leuandis, tumque vſum electuarii repetendum. Cl. Dn. Medicus P. medicatione e cortice, tanquam noxia et periculoſa reprobata, noluit commendare aliud quidquam, niſi hoc ipſo menſe denuo potandas aquas Pyrmontanas. Quaeritur iam, num huic conſilio, forte non ſpernendo, modo ſufficiens ſit, ſubſcribendum, quidue porro agendum, num continuatus Cort. vſus, an potius Martis conuenire videatur.

Reſponſum Werlhofii.

P. P. Graphice, vt ſoles, deſcripſiſti, iudicioſe curaſti morbum generoſiſſ. L. Eſt adfectus hypochondriacus, cum obſtructione glandularum meſenterii, decrementi corporis cauſſa, et neruorum paris vagi et ſympathici debilitatione et irritatione, vnde pauores in

ſomno,

ſomno, motus artuum inuoluntarii, et ipſa, vbi grauior ſit irritatio, conuulſio epileptica. Non improbo conſilium de potanda denuo aqua Pyrmontana, cuius vſus ſtatim a ceſſatione electuarii incipi, et per dies XIV. continuari poſſit, data primo et poſtremo ſalis Rupelenſis ſiue Seignettae doſi, et ante prandium guttis XII. olei caieputi. At, ſtatim abſoluta hac duarum hebdomadum medicatione, repeti vellem electuarium ex cortice et per octiduum certe, aut, pro re nata, amplius, quinquies in die dari. Si quam ſuadere licet mutationem, valerianae, quae, diuturno vſu κακοστόμαχος eſt, ſubſtitui vtiliter poſſe crediderim *corticem Winteranum*, egregium ſtomachicum et neruinum, et in obſtructionibus glandularum Meſenterii ſingulare remedium, ea proportione, vt ſingulis corticis Peruuiani vnciis miſceantur alterius drachmae duae. His medicamentis abſolutis, indicationes ex euentu naſcentur. Frictiones abdominis, exercitatio moderatior, animi tranquillitas, victus ex cibis blandis et facile digerendis, potus non fermentatus, roborans tamen, vt quem ex viſco quer-

no praeſcripſiſti, vel ex radice caryophyllatae, hypochondriis, ſtomacho et neruis amica, curationem iuuabunt. An poſtmodum medicina ex Marte, vti puluis cachecticus, reſerandis vlterius obſtructionibus, neruis roborandis, adhibenda ſit, iudicabis ex ſucceſſu. VSio conſulta intermitti poſt hac debere non videtur. Blanda etiam catharſis, quouis forte menſe inſtituta, ad praecauendum ſymptomatum regreſſum faciet. Deus conſilia fortunet! Ob munus miſſum gratias meo nomine agas velim. Vale et me fauore Tuo porro complectere. Dab. Hannov. d. 7. Sept. An. 1758.

ADDENDA.

Commendatae methodi virtute vir generoſiſſ. ex voto conualuit, in hunc vsque diem ſuperſtes.

Tab:

Fig: I.



Fig: II.



Fig: V.




Fig: III.



Fig: IV.




G.